



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755


[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)




Th. 2973.

J. VI

π





Collegii S. Iohannis Paderbornae. 1725.

**CURA
SALVTIS,**

SIVÆ

DE STATU VITÆ

Mature ac prudenter

DELIBERANDI

METHODUS,

Per decem

DIERUM VENERIS

SPIRITUS SANGTI,

Sanctissima

DEI MATRIS,

BONI CONSILII,

SS. IGNATII & XAVERII

Honori

Instituendam solitam

DEVOTIONEM

PROPOSITA,

COLONIÆ, apud Petrum Marteau,

1716,

CURA
SALVATIS
DE STATU VITA

Monitio ad Lectorem.

*Hæc editio quoad omnia concordat cum illa,
quæ Anno MDCCXIV. Sodalibus B. Ma-
ria V. sine labe concepta in Cesareo-Aca-
demico Soc. Jesu Collegio Vienna erecta
in strenam oblata, ac libello: MANU-
DUCTIO ANIMÆ AD COELUM
annexa ibidem prodiit.*

DEI MARIÆ
HONOR
DEVOTIUM
THOMAS

COLONIAE
1716

MONITA.

Pro deliberaturo de vitæ statu.

1. **C**Um *deliberandum* sit diu, quod *statuendum* est, semel, pro hac deliberatione sanctiùs & utiliùs facienda proponitur uisitata per decem dies veneris devotio; quod tempus nec pro re tanti momenti rite ponderanda nimis longum videri debet, nec adeò breve est, quin satis matura sequi possit deliberatio.

2. Et quia DEUS est, qui *operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult.* 1. Cor. 12. honori S. Spiritùs, qui nos docebit omnia, offeretur proesens devotio; cujus gratia toto hujus deliberationis tempore frequenter æquè ac ferventer erit petenda.

3. In subsidium hujus gratiæ impetrandæ primùm potentissima sanctissimæ Virginis; quæ ut Salvatoris, ita & salutis nostræ, ac *Boni Consilii*, Mater est; deinde SS. Ignatii & Xaverii: qui pro animæ nostræ salute plurimùm zelant, quique plurimis deliberantibus auxilio fuerunt, intercessio implorabitur.

4. Quia verò *in malevolam animam non introibit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, ad puritatem conscientiæ conservandam singulis diebus veneris instituetur Confessio & Sacra Communio; utraque plurimum proderit ad augmentum gratiæ divinæ, ac superni luminis, pro quo agimus, impetrationem. Quod si autem dies veneris vel ob occupationes alias impedita foret, vel hac die non ita ferventer sanctissima hæc Sacramenta frequentari possent, fas erit ex arbitrio Confessarii alium diem designare, v. g. diem Dominicum, quo fortè plus otii suppetet ad devotionem diligentius peragendam.

5. Diebus Sacræ Communionis totidem considerationes assumendæ erunt, quæ deliberanti suggerent materiam, circa quam versari debet deliberatio. Determinandum proinde tempus aliquod, ab aliis occupationibus vacuum, in quo consideratio pro illa die proposita recollectâ mente legatur, & ruminetur. Nec dubitandum est, quin DEUS, quem eâdem die deliberans sumpsit, sit ei ad cor locuturus, suamque, quis eligendus sit vitæ status, voluntatem significaturus.

6. Sub

6. Sub his considerationibus, uti & aliis durante hac deliberatione temporibus, diligenter attendendum erit deliberanti, quò ejus animus plus & frequentius ferri videbitur; aut quæ rationes pro hoc v. g. statu vel contra occurrerint; quas pro certiori dein conclusione & determinatione facienda consultum est scriptò, prout inciderint, adnotare; tum ut omnibus rationibus simul collectis demum easdem cum animæ suæ arbitro conferre, ac ex ejus consilio se certius determinare possit.

Quantò major gratia est, divinæ voluntatis, & viæ illius agnitio, per quam DEUS unumquemque salvare decrevit, tantò laborandum erit magis per plura bona opera hunc DEI favorem conari impetrare. Quæ autem & qualia suscipienda cuivis in particulari sint, ejus fervori, ac Confessarii directioni committo. Illud omnibus commune esse debet, ut opera ordinaria, & aliàs consueta pietatis officia, preces matutinæ & vespertinæ, cum examine tam generali, quàm particulari, auditio Missæ, Corollæ Marianæ, aliarum orationum recitatio, libri spiritualis lectio, cultus SS. Patronorum, usitatæque

mortificationes non solum non omit-
tantur, sed fiant cum omni diligentia
in Domino.

ORATIO

*Pro eligendo vitæ statu, singulis die-
bus S. Communionis, vel quotidie
iteranda.*

OMnipotens æterne DEUS! qui me
ad imaginem & similitudinem
tuam ex nihilo condidisti, ut te reve-
rear, laudem, tibi que in eo vitæ statu
serviam, in quo certò salvus fiam; da mi-
hi sedium tuarum assistricem sapientiam, mit-
te illam de sedibus sanctis tuis, & à sede mag-
nitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret,
ut sciam, quid acceptum sit ante te. Scit enim
illa omnia, & intelligit, & deducet me in operi-
bus meis sobriè. Quis enim hominum poterit
scire consilium DEI? aut quis poterit cogitare,
quid velit DEUS? cogitationes enim morta-
lium timida, & incerta providentiæ nostræ.
Difficile estimamus, quæ in terra sunt: & quæ
in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ
autem in cœlis sunt, quis investigabit? sensum
autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sa-
pientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum
de altissimis: & sic correctæ sint semitæ eorum,
qui

non

2 A

qui

qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines. Sap. 9. Concede proinde mihi misericors DEUS, quæ tibi placita sunt ardentè concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere; ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum; & quod à me requiris, ut faciam, tribue ut sciam, & da exequi, sicut oportet, & expedit animæ meæ.

Ora: Veni Sancte Spiritus, &c. ut passim habetur in libellis precatoriis, vel Litanias de S. Spiritu.

ORATIO

Ad Boni Consilii Matrem.

O Sanctissima, & humani generis amantissima Virgo! in cujus tutela & protectione omnem post DEUM salutis meæ spem collocavi, tu nôsti intima cordis mei, scis, quod à primo rationis usu mecum creverit, & adoleverit filialis erga te fiducia; cui etiamnum innixus tot inter salutis pericula, velut parvulus, ad sinum Matris confugio! Recordare ô pia! ô dulcis Mater! quoties animam meam, ejusque

salutem æternam tibi commendaverim ; nunc, dum de vitæ statu delibero, tuos misericordes oculos ad me converte, huc, illucve titubantem gressum dirige; in hac caligine versanti lumen accende, quo illustratus DEI, unigeniti Filii tui, tuamque circa me voluntatem agnoscere, ac eum vitæ statum, in quo ille salvandum prævidit, eligere ac consequi possim. En ego me in tuam, Filiique tui manum & sanctissimam voluntatem ex toto resigno, fiat de me, & in me, & circa me, Voluntas vestra, sicut in cælo & in terra!

Ora in memoriam 9. mensium, quibus Christum in utero gestavit B. Virgo, totidem Ave Maria, pro bono Consilio.

ORATIO

Ad SS. Ignatium & Xaverium.

O Magni animarum directores & spirituum discretiores SS. Ignati & Xaveri! qui directione, & intercessione vestra innumeris cæli semitam ostendistis; videtis me de vitæ statu eligendo sollicitum, ideo ardentissimum vestrum animas salvandi zelum imploro, ut in hoc maximo æternitatis beatæ negotio auxilio, consilioque vestro, ac apud
DEUM

DEUM intercessione mihi assistatis ,
 quatenus eum vitæ statum eligam , ob-
 tineam , qui sit ad DEI Domini nostri
 gloriam , proximi ædificationem , & ani-
 mæ meæ salutem , quam unicè deside-
 ro , mihi utilissimus. *Quid enim prod-
 est homini , si univversum mundum lucretur ,
 animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Adde
 Pater & Ave &c.

Eligi debet Director delibera-
 tionis.

OMnibus suadetur , ut habeant con-
 stantem animæ suæ arbitrum , & in
 via spirituali directorem ; quæ res plu-
 rimas habet utilitates : maximè tamen
 in deliberatione bene peragenda neces-
 sarius est ejusmodi manu ductor , via
 hæc plurimis subjecta erroribus sine tali
 duce vix ritè peragetur.

Dum B. Aloysius Madriti coram
 imagine , *de bono Consilio* dicta , B. Vir-
 ginem invocaret pro electione status ri-
 te facienda , ex eadem imagine vocem
 audivit , quâ Societatem JESU ingredi ,
 & rem hanc cum Confessario ulterius
 tractare jubebatur.

Sic estò Christus Saulum ad Aposto-
 latum vocasset , jussit tamen , ut Ana-

niam adiret : à quo intellecturus esset, quid eum facere oporteret.

Non secus ac navis procelloso in mari non tutò alteri, quàm perito navarcho committitur, ita quò animarum tractandarum peritiorem elegeris directorem, tantò securiùs deliberatio tua procedet. Certum enim est, quòd non omnes Confessarii parem prudentiam, vel virtutem, ac maximè spirituum discretionem habeant ; proinde si sapis, animam tuam tali committe, qualem Spiritus Sanctus suadet : *Consiliarius tibi sit unus de mille.* Eccl. 6.

Si electum deliberans DEI locò habeat ; ei de liberationis à se faciendæ intentionem aperiat, directionem petat, ejus se precibus commendet, ac vicissim DEUM oret, ut suam sanctam voluntatem per hoc instrumentum significare dignetur.

Promittat ei sinceritatem & filialem confidentiam in rebus ad animæ negotium pertinentibus, uti etiam fidelem eorum observantiam, quæcunque suaserit.

Notus Directori suo deliberans esse debet, & quantò hic eum intimiùs noverit, tantò faciliùs diriget ; aliàs fieri

ri posset, ut cœcus cœcum ducens, cum in foveam seduceret. Unde sunt, qui consilium de statu vitæ diligendo rogati sensum suum aperire negant, nisi consilium petentis vitam antea actam & conscientiam notam habuerint.

Quia verò status electio etiam ab aliis circumstantiis pendet, v. g. cuius genii, ingenii, valetudinis, virium, propensionis, &c. deliberans sit, expedit de his pariter duci suo notitiam dare, nisi eam priùs habuerit.

Hæc cum in sacro tribunali tractari non possint, ad eundem per vices erit director, ex quo deliberans facilè intelliget, quo loco, aut tempore id commodius fieri possit.

Sunt, qui sic cum Confessario deliberaturi, facultatem illi tribuant, ut in ordine ad faciliorem, melioremque directionem etiam notitiâ per Confessiones acceptâ uti possint in consiliis sibi extra confessionem dandis.

Ab eodem animæ arbitro consilium petet, quas mortificationes, jejunia, preces, aliâque pia opera peragere possit, tum ne per fervorem excessum committat, tum ut ex ipsis operibus, ob hunc demissionis actum, quo suum iudicium
alie-

alieno subicit, majus meritum habeat.

Sinè Directoris judicio deliberationem non concludat, minùs circa hanc, vel etiam aliam rem votum emittat.

Præstat unius directioni animam suam committere, quàm plurium. Plures Medici plus obsunt infirmo, quàm profint; unius navis unus debet esse gubernator, ut securè optatum ad portum perveniat; maximè cùm animam hac in re difficiliùs sit dirigere quàm navim. Ars artium est regimen animarum. Nisi DEUS Confessario assistat, nihil tibi proderit ad electionem.

Officium Animæ Directoris.

SE muneri huic aptum judicare, arrogantiæ; ingerere, præsumptionis esse videtur. DEI hoc arcanum est, quem, per quem dirigi velit. Acturus cum deliberante sit prorsus indifferens; nec DEUM præveniat, sed sequatur. Vocatio est lumen DEI, à quo qui aliò declinat, errat. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur. Matth. 15.*

Rem hanc, a qua deliberantis æterna salus pendet, DEO Patri luminum sæpius commendet; multi sub Missa in

Me-

Memento eorum recordantur, quos in anima dirigendos assumpserunt.

Ut melius dirigere possit deliberantem, conetur eum prius non tantum quoad internum animæ statum, sed quoad naturam, talenta, educationem, &c. perspectum habere.

Etiam extra sacrum tribunal cum eodem agat, in rebus spiritus instruat, v. g. utiliter communicandi, librum spirituales legendi modum doceat; hortetur ad frequentanda Sacramenta, usum mortificationum, opera devotionis &c.

Frequens cum Cliente locutio utilior erit, quàm diuturna; unâ vice præstat solum de una re agere; nec enim omnes ita capaces sunt, ut plura disparata simul capiant, & retineant. Zelosi Confessarii faciunt sibi catalogum materiarum & ordinem, de quibus agere cum pœnitentibus velint.

Utilius etiam cum deliberante aget Director, si hunc ille ultrò accedat, aut occasio se aliunde offerat, quàm si vocetur; nam si ex meditato eum vocari curet, putare poterit, se captari. Ad quod evitandum puto non danda esse deliberanti munera, nisi fortè ad
Spi-

Spiritus augmentum utilia, ne putet, vel jactet se inescari; aliis proinde modis, non adulatoriis & mollibus, sed feriis sui Clientis affectum conservare studeat, qui proderit, ut ejus ductum libentius sequatur.

Primum jubeatur deliberare, an in sæculo manere velit. Secundum, an Ecclesiasticum statum assumere præstet. Tertium, an Religiosus ordo ingrediendus? deinde hac factâ determinatione, primò deliberandum proponat illi, qui v. g. sæcularem statum elegit, an militiæ? an œconomix? an Juris vel Medicinæ studio, &c. se addicere velit. Vel si Religio illi præplacet, investigandum qualis Religio assumenda?

Suadeatur deliberanti, ut rationes, quibus ad hunc, præ aliis statum eligendum permotus sit, scripto adnotet, uti & illas, ob quas alios status sibi non judicat convenire.

Non statim cuique impulsui credendum, permittendus est longiori tempore negotium hoc & rationes expendere; juvabit etiam eidem quædam contra illum statum, quem deliberans eligere vult, objicere; ita tamen ut

po-

positivè nullum ei statum, maximè verò nullam Religionem dissuadeat.

Conetur is ejus motiva discernere, an à DEO, an ab amore proprio, vel dæmone sint profecta? réque diu coram DEO consideratâ suum ei consilium aperiat, memor: quòd hanc animam, quam DEUS ejus curæ tradidit, etiam ab eodem sit repetiturus.

Si omnibus perpensis judicet vocationem esse à DEO, eligatur dies, quâ deliberans conclusionem à se factam DEO offerat, proque ejus executione gratias petat.

Directoris erit hunc contra tentationes armare, ac ad statum electum per exercitationes illi proprias eum sensim disponere. Religiosum statum ingressuro ejus difficultates explicandæ; suadendæ tales corporis mortificationes, quæ illi statui præscriptæ sunt, ne nova deinde omnia videantur.

Vocatio debet esse à DEO.

Quis hominum intelligere potest viam suam?
Prov. 20.

DEUS absquète, qui hæc legis, ab æterno felicissimus, omnem omnino perfectionem & beatitudinem in se

se complectens, non suo commodo, sed ex pura sua bonitate, & in te amore creavit te, & ideo te creavit, ut ad cœlum pervenires, *Ille vult omnes salvos fieri. 1. Tim. 2.* Hoc, quantum ex parte sua est, intendit quidem efficaciter, sub conditione tamen: si homo eum vitæ statum, quem ipse unicuique ad salutem designavit, elegerit; si secus faciat, optima hæc DEI voluntas & designatio non adimplebitur, sed qui creatus erat, ut salvus fiat, ille heu! æternum interibit. Vide, mi Parthenophile! quanti, quàmque solliciti plenum momenti negotium sit vitæ status electio? tanti nempe, quanti est æterna salus animæ.

2. Quis verò ille status sit, quem DEUS unicuique constituit, in quo salvandus certò sit, nemo hominum assequi potest, sed est arcanum DEO reservatum. Ad DEUM non venit sine DEO. Vocatio res maxima pendet à Maximo. Qui creavit te, ille tuæ salutis conditionem sibi reservavit. *Domini est dirigere gressum. Proverb. 16.* Ille nempe Dominus est, nos vilissimæ creaturæ, in cuius manibus sortes nostræ. Ille Dominus qui operatur

omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. 1. Cor. 12. Cogitationes & providentiæ nostræ timidæ sunt & erroribus innumeris obnoxia, sola illa mens omniscia novit, quis tibi status expediat ad salutem, vide quò spes, quo preces dirigendæ?

3. Ex tanta hominum multitudine, quos omnes DEUS creavit, ut salvi fiant, pauci salvantur: quia multi DEO non consulto, contra ejus intentionem hunc vel illum statum temerè, absque consilio, cœcè ingrediuntur, *est nempe via, quæ homini videtur bona, finis autem ejus ducit ad interitum*, Matth. 7 Nisi DEUS sit Vocationis tuæ fundamentum, & origo, malè illa cedit. Nihil suâ basi stat firmitus. Qui hac in re hominem, aut humanum aliquid attendit, DEUM inhonorat, sibi pessime consultit. Peribit totum, quidquid ex DEO non est ortum. Non mirare jam cur tot, sed seri, sint hominum gemitus se errasse lamentantium; ne horum aliquando numerum augeas, supplex à DEO lumen pete, sed ita, *ut hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Is. 49.

4. DEUS Creator noster est ; nos factura manuum ejus. Ille Dominus, nos servi, & quidem necessariò, & essentialiter tales, cui quidquid sumus & habemus, ex integro debemus. In hujus proinde tam magni Domini nostri arbitrio positum est, ut de nobis, quidquid ei placitum fuerit, constituat, faciatque nos sive vas in honorem, sive vas in contumeliam. Servi munus est sui Domini nutum expectare, hujus voluntatem ad amussim adimplere. Vide, mi Parthenophile! quæ vocationis tuæ dioptra sit & regula, nempe DEI tui voluntas ; quantum ab hac recedis, tantum erras. Ora: *Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra.*

5. Ignotum DEUS nobis illum statum & conditionem esse voluit, sub qua unumquemque nostrum salvare decreverit, ut ejus dominium semper agnosceremus, ac *salutem nostram in timore & tremore operaremur.* Phil. 2. Rogari vult magnus hic Dominus, ut suam nobis voluntatem aperiat ; vult conatum nostrum piumque studium, quo ad agnoscendam ejus voluntatem feramur, experiri ; vult, ut cum Pro-
phe-

pheta clamemus : *Loquere Domine :*
quia audit servus tuus ; vult , ut glo-
riari possimus ? Dominus solus Dux
meus fuit. Deut. 12. Hæc illa est po-
laris stella quam in hoc procelloso vitæ
mari fluctuantes si respiciant , securè
ad portum felicitis æternitatis cursum
promovent. Huc oculos, huc preces,
huc conatus tuos & spes Parthenophi-
le ! nullus enim tutè sibi sumit hono-
rem, vel statum, sed qui vocatur à DEO
Heb. 5.

6. Qui hanc circa se DEI volunta-
 tem scire optat , innocens vivat , nam
DEUS peccatores non audit. Luc. 18.
 quis prudenter à DEO lumen , ac do-
 num vocationis sperare possit , si ejus
 offensam non curet ? Optima ad DEI
 voluntatem intelligendam via est ; vita
 immaculata ; per hanc qui se filium
 DEI constituit , hujus DEUS indubita-
 tè curam geret ; eamque majorem ,
 quàm Pater ullus aut Mater Unigeniti
 sui curam gerere possit. Tali non ob-
 scurè vocationem intimabit ; diriget
 vias ejus. *Iustum enim deduxit Do-*
minus per vias rectas , & ostendit ei
Regnum DEI. Qui vitam ducit inno-
centem , nihil dubitet , quin divinam

circa se agniturus sit voluntatem. Ut in charta necdum sordidata, vel rasa facilius est scribere, ita in corde nullis adhuc gravioris delicti sordibus inquinato promptius Spiritus Sanctus sensa sua inscribere consuevit.

7. Ut vocatio à DEO petenda, & expetenda est, ita motivum, quo deliberantis animus huc vel illuc flecti debeat, DEUS esse debet. Creatus est homo propter DEUM; ut non erret, pariter vocari debet à DEO, id est ad DEUM tendere propter DEUM. *Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Vocatio tua sit instar stellæ illius, quæ tres Reges ad DEUM deduxit. Consulere alios poteris, uti & Magi fecere Jerosolymis; id tamen quò tendis, & quod per vocationem obtinere anhelas, DEUS sit. Heu quàm procul, quàm toto cœlo errat, qui huc non tendit. Fatuos ignes sectatur, quisquis causas attendit temporales, in avia & devia seducetur. Vacillabit, quod in immobili non est fundatum; ad tempus afficere animum humanæ considerationes poterunt, satiari non poterunt. Anima tua æterna cum sit, nisi æternis nitatur causis, quietem non inve-

inveniet; ad centrum suum quod DEUS est, anhelare debet, ut ei bene sit, Vide Parthenophile! ita cautè procede, ne gemere serò cogaris: *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. Frustra laboramus, pacem in nullo statu inveniemus, nisi DEUM quæramus; *inquitum est cor nostrum*, expertus dicit Augustinus: *nisi requiescat in te*, imò non solum pacem animi non inveniemus, sed cruces innumeras, perpetuam amaritudinem, id est, infernum ante infernum experiemur, ex quo quia sæpe nulla, nisi per mortem, redemptio, quàm misera, & infelix ejusmodi vita sit, facilius cogitare possumus, quàm satis agnoscere. *Perditio tua ex te Israël, ex me tantummodo salvatio tua*, Os. 13. Ne hoc tu audire cogaris. DEUM quære propter DEUM; & dic cum S. Ignatio:

Affectus.

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, & tuæ prorsus trado voluntati gubernandum.

Amorem tui solum cum gratia tua, vocationem meam manifestante, mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultrà posco. Avarus sim, si tu, mi DEUS ! mihi non sufficis. Quidquid quæro, aut desidero, tu solus es, DEUS meus mihi omnia ! modò te illuminante sciam, quid placitum sit ante te. Domine, quid me vis facere ? Coecus ego sum, da Domine ! ut videam.

Indifferentia est deliberanti
necessaria.

*Omni sollicitudinem vestram projicientes
in eum, quia ipsi cura est de vobis.*
1. Pet. 5.

I. **C**ùm sicut salus æterna, sic & vocatio nostra à DEI nutu & arbitrio pendeat, hoc ut certiùs assequamur, necesse omninò est, ut deliberantis voluntas nullam in partem inclinata, sit prorsus indifferens, & bilancis instar neque ad unam, neque ad alteram partem plus propendeat, ad id eligendum & exequendum parata, quidquid intellexerit DEUM velle. Qui seu persuasione veteri, seu inclinatione suâ, seu parentum imperio jam determinatus esset, is tentare potius DEUM, quàm

quàm deliberare videretur. Talis enim non tam vellet DEI voluntatem sequi, quàm hujus placitum ad sua desideria inclinare ; ordine planè præpostero, ut Dominus servi , non servus Domini sui , & talis Domini , voluntatem sequatur.

2. Varietatem statuum DEUS pro decoro universi constituit ; eo tamen pacto sunt ab homine rationabiliter appetibiles , prout ad ultimum finem, id est, ad cœlum obtinendum proficui esse possunt. Status verò isti tam varii, & multiplices secundùm se indifferentes sunt, nec boni, nec mali, ideò ad earum usum indifferentes nos esse oportet; non secus ac viator ad quamcunque semitam terendam paratus est, seu dura sit, seu mollis, modò eò, quò ipse tendit, secura deducat. Viatores sumus ; ad patriam tendimus ; nullus proinde status propter se, verùm ille præ aliis appetendus , qui nos certius in patriam deducet. Hanc designare cùm DEI sit, nos in æquilibrio positi ejus voluntatem expectemus oportet.

3. Licet ex tot statibus unus præ alio in se melior, & perfectior appareat , non sequitur, quòd illum continuò sinè

speciali DEI ductu eligere possimus : illud prius expendendum, non quis status ratione sui, sed quis ratione deliberantis melior & accommodatior sit? aliàs facile fieret, ut importabilia quis & viribus suis majora in humeros assumeret. Proinde sicut æger sanari volens non eam illico medicinam sumit, quæ in se preciosior, ex auro vel gemmis confecta sit, sed quam malo, quod patitur, curando magis aptam esse intelligit, quâ ipsa in re sibi non fudit, sed se medico, erroribus licet obnoxio, cum omni promptitudine ac indifferentia totum relinquit, quidquid præscripserit, agere paratissimus; non secus deliberantem decet agere, cum ignoret, quis ad salutem suam magis utilis futurus sit status, DEO se committat.

4. Quod tantò promptius agere possumus, quantò certius nobis est, DEUM omniscium esse, neque in designationibus suis falli posse. Ille novit optimè, quid in quavis circumstantia & statu positi boni vel mali acturi, quæ pericula salutis habituri effemus? quid proin superesse nobis potest dubii, quin ambabus illud ulnis amplectamur, ad quod ille nos vocat, præcipuè cum
ob

ob infinitam bonitatem, fidelitatemque suam fallere nos nec velit, nec possit. Pater est, in ejus proinde ulnas nos parvulorum instar securi conjiciamus, quid ille de nobis pro libitu suo constituere velit, in æquilibrio præstolemur; hæc sola sit consolatio nostra, sola felicitas, ut circa nos, de nobis, & in nobis ejus voluntas fiat.

5. Quòd tam diversis in orbe statibus, professionibus, artibus ita affatim de aptis & sufficientibus ubique subiectis provisum sit, nullatenus humanæ industriæ, aut creato consilio est adscribendum; DEI mundum gubernantis, & suaviter omnia disponentis hæc providentia & potestas est: *Non vos me elegistis, ego elegi vos.* Joan. 15. Magnus hic Dominus, ut ex nihilo creavit omnia, eademque in tam diversos status discrevit, sic mirabili prorsus dispositione singulis statibus abunde providet, dum hunc ad illum, aliam ad hunc statum destinare consuevit. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & divisiones operationum sunt, idem verò DEUS, 1. Cor. 2. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Propheta. Ephes. 4. DEUS Pater omnium est,*

fic statibus omnibus providet, ut bono simul provideat singulorum hominum. Jacta, mi Parthenophile! cogitatum tuum in DEUM tuum, imò in Patrem tuum.

6. Frustra nitimur contra torrentem; frustra beneplacitum nostrum divino præferre contendimus. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis eradicabitur.* Matth. 15. Frustra parat Jonas fugere in Tharsis, quem DEUS in Ninive destinavit. Frustra Saulus parat ire Damascum, ut Ecclesiam DEI persequatur, quem DEUS Jerosolymas ire, ac Gentium Doctorem constituit. Non sperandus est successus, ubi contra, vel præter DEI nutum status assumitur. Domus, cujus fundamentum arena est, quàm diu stabit? nisi DEUS vocationis tuæ principium sit & finis, adire illum DEO præmittente poteris, sed in ruinam & precipitium tuum, idque & temporale & æternum. Ille Dominus est, nos servi, Creator ille, nos creatura. Si de opera à se facto pro libitu disponit artifex, quantò magis nos, qui opus manuum DEI sumus, cùm ratione potiamur, ejus qui creavit nos, placito finire

nere

nere debemus. Multa præclara per nos & in nobis operaretur Omnipotens, nisi nos ejus voluntatem prævertere aut impedire niteremur. Permittit ille quandoque nos nobis, sed malo nostro. Absit à te Partenophile, ut tuam fœteris voluntatem. Pessimus manu-ductor est voluntas propria, ducit ad interitum, cœca est. *Cesset voluntas propria, & infernus cessabit.* S. Aug.

7. Quisquis in electione status suo sensu ducitur, aut humanis nititur consiliis & respectibus, animi quietem non habebit, jure semper dubius, quem talis electio sit finem sortitura? præterquam enim quod nemo in sua causa possit esse judex, quot non sub placido etiam mari latent pericula, quot tristissimi planè casus nos expectant? quos cum mens humana videre non possit, quàm miserè nos ipsi præcipitamus, si *os Domini non consulimus*, ejus nutu non expectato in eos nos ipsi cœcè con-
 jicimus. Hinc mundus lamentorum plenus, dum hi statu suo non contenti vetera damnant consilia; illi pedicas, quibus se imprudentes immiserunt, exuere frustra laborant; inanes inter querelas vitam trahunt, semper affli-
 eti;

Et; bis miseri : quòd & hic omni solatio privati sint, & in aperto insuper salutis periculo versentur. Proinde mi Parthenophile ! illum tua solum in electione tu sequere, qui solus novit, tibi quid expediat ad salutem.

Affectus.

Domine DEUS ! ut solus es, qui nosti, quid mihi tam in tempore, quàm æternitate certò sit profuturum ; Tu solus es, cui tutò me totum confidere possim ; nemo hac in te bonus, nisi solus DEUS ; mendaces filii hominum ! Tu solus es, cui electionis à me bene vel malè factæ rationem redditurus sum ; Tu solus, qui salvare potes animam meam. In te proinde solum conficio oculos meos, ad te solum spem meam dirigo, me totum SS. voluntati tuæ plenè resigno. Paratum cor meum DEUS, paratum ! ad faciendas justificationes tuas.

Deliberanti DEI voluntas indaganda per media humana.

Qui petit, accipit ; qui querit invenit, Joan. 16.

1. **L**icet determinatio status eligendi à DEO pendeat, ut si absque
hujus

hujus voluntate fiat, nihil nisi afflictio & calamitas, eaque tam temporalis in vita, quam æterna post illam expectari possit: ad hanc tamen DEI voluntatem agnoscendam DEUS hominis conatum exigit, & sollicitudinem expectat. *Qui enim creavit nos sine nobis, ille non salvabit nos sine nobis*, optimè advertit S. Augustinus. Etiam in rebus temporalibus DEUS nostram exigit cooperationem, pascit ille quidem totum mundum, & singulorum alimentis Pater optimus providet, vult tamen, ut seminemus, ille dein addit incrementum: pariter in rebus æternitatem concernentibus, vult à nobis manum operi applicari, ut quod quærimus, certiùs obtineamus.

2. Conatus quidem humanus sine DEO inanis est, & vacuus; ita tamen docente S. Ignatio ponenda spes nostra omnis in solum DEUM, ac si ille absque ulla nostra cooperatione lumen vocationis, & suæ voluntatis indicium certò nobis, sine nobis daturus esset: vicissim ita media omnia cognoscendæ divinæ vocationis à nobis adhibenda sunt, quasi DEUS nihil operaturus, sed totum hoc negotium labori nostro reli-

ctus;

Eturus esset. Qui sic sperat, non confundetur. Quantum mi Parthenophile! addideris ad conatum hunc sanctum, tantum DEUS apponet ad adjurotium; quantum appones ad diligentiam, tantum ille addet ad gratiam, ut quod quæris, intelligas.

3. Ad hanc DEI voluntatem circa electionem salutiferi vitæ status agnoscendam extraordinaria DEI miracula expectare non spes foret, sed præsumptio. Licet enim legamus, quòd aliquos DEUS varia per prodigia vocaverit ad certos status, id tamen, ut nobiscum pariter fiat, desiderare, aut nisi aliquid simile nobiscum fiat, credere quòd vocati non simus, temeritas esset; tum quòd nos meriti non simus, ut similia nobiscum DEUS miracula faciat, tum quia ille Dominus noster est, qui pro sui arbitrii libertate disponit de singulis, & nemo ex eo, sine arrogantia quærere potest, cur sic facis? Qui Angelum, aut vocem de cœlo expectat, priusquam ad statum aliquem se resolvat, errat. Humanis DEUS ut plurimum utitur mediis. Attente ad inspirationes, observa motus animi, expende rationes, & his Ducibus facile ad
DEI

DEI voluntatem agnoscendam pertinges.

Faciendi quod est in se DEUS non denegat gratiam. Adhibe conatum agnoscendi DEI vocationem, & DEUS pro sua bonitate non deerit desideriis tuis. Conatus verò iste tantò sincerior, tantòque maturior esse debet, quantò res, quam quærimus, major, & magis intricata est. Si electio rei, cujus mutatio nostræ subest voluntati, consilio tamen & justâ eget consideratione, quantò magis egebit rei ejus determinatio, quæ naturâ sua immutabilis, & vitæ tam temporalis, quàm æternæ fundamentum est. Nec vestem emimus, nisi probè prius examinatam, an nobis apta sit, quam tamen exuere pro libitu possumus, si displicitura sit; quanto accuratori examini opus habebit vitæ status, qui nobis semper adhærebit.

5. Unum ex ordinariis DEI mediis, quo hominem ad aliquem vitæ statum pellicit, est interna, quam indit, animi inclinatio. Hinc videmus hunc à prima statim pueritia, priusquam ratione ulla satis regere se novit, tympana parare, instruere ex sibi similibus aciem, equitare in arundine, vexilla explicare,

pu;

pugnare, cæsim punctimque concurrere; alium verò libros volvere, altaria erigere, Missas, cæterasque ritûs Ecclesiastici cæremonias imitari, quin ex editiori loco ad parvulos verba facere. Quis non ex his advertat, hunc ad sacra, illum admilitiam teneris ab unguiculis manuduci, ac dicere posse cum Isa. 49. *Dominus ab utero vocavit me.* Triennis erat Joannes, cùm eremum subiit, qua ætate rationum pondus eò ipsum compellere nequaquam potuit. Observandum proinde erit, quid tibi rudis adhuc voluntas suaserit, maxime si ea nullum suasorem habuerit, annisque compluribus constans hæserit.

6. Nec tamen ita propensioni huic fidendum, quin eadem ad rectæ rationis incudem revocanda sit, tum quia sæpe talis propensio à Parentum instinctu, aut exemplo trahit originem, tum quia naturalis inclinatio sæpe sæpius ad malum inclinat. Voluntas humana naturâ sua coeca est, nisi facem ei præferat intellectus. Ubi proinde instinctum aliquem in se quis ad statum determinatum animadvertit, unde is originem traxerit? an deliberantis genio, circumstantiis, talentis accommodatus?

tus?

tus? an rationibus æternis, salutique certò consequendæ aptus sit? videntum; & si propensione ratio maturè considerata consentiat, salva res est, tutò sic vitæ status eligi poterit. Si rationibus convincatur intellectus, & judicet se à DEO ad certum statum vocari, voluntas autem resistat absque eo, quòd solidam dare possit rationem, tum sicut longè difficilius est se ad talem statum amplectendum resolvere, ita qui hac in re illam renitentiam naturalem vincit, longè majus meritum apud DEUM habet. Heroicâ talis opus habet resolutione, sed quæ magnas DEI gratias post se trahit.

7. Quia tamen & naturalis inclinatio, & eæ, quæ se primâ fronte offerunt, rationes fallere possunt, maximè Juvenes parùm adhuc expertos, nec procul videntes, ideo non cuilibet statim incidentiæ credendum, nec omni propensione credendum est, licet hæc vehemens esse ac potenter impellere videatur. Non omne, quòd splendet, aurum est. Multa vehementer appetit æger; cave illi concedas, nisi mortuum velis. Mora justa temporis de liberationi danda; sæpè accidere solet,

C

ut

ut quæ hodie appetivimus maximè ,
 cras ab eodem quàm maximè abhor-
 reamus. Juvenes quod appetunt, id
 vehementer, non tamen diu desiderant.
 Mora proinde Lydius sit deliberationis.
 Mora tamen hæc iusta quidem , longa
 tamen esse non debet, sit rationis po-
 tiùs , quàm temporis. Nec illud mi-
 nùs necessarium, ut antequam propen-
 sioni, rationibusque tuis assensum præ-
 beas, easdem animæ tuæ arbitro, Vi-
 ro prudenti & pio proponas, ab eodem
 lumen, consilium petas. *Fili sine con-
 silio nihil facias, & post factum non pœni-
 tebit.* Eccl. 32. Qui tanta in re credit
 se consilio non egere, graviter se deci-
 pit,

Affectus.

DEUS in cujus manu sunt omnium
 hominum corda & voluntates ;
 quique has ed, quo tibi placet , infle-
 tis. Dominus es, ad cuius nutum,
 & arbitrium omnes actiones nostræ di-
 rigi debent. Agnosco dominium tu-
 um, adoro potestatem, illique me ul-
 trò & libenter subijcio. Da mihi lu-
 men, ut sciam, quid placitum sit ante
 te. Ecce cor, & voluntatem meam !
 ecce

ecce intellectum ? tu qui DEUS & Dominus meus es , hunc illumina , illam move ; utramque animæ meæ potentiam ita dirige , ut à sanctissimo nutu tuo nec unguem recedant , ne me in avia & devia seducant.

Deliberanti primùm cura fit de Anima.

Est Vir sapiens animæ suæ sapiens. Eccles. 37.

1. **L**umen naturæ dicitur , & sana ratio suadet , ut tantò unaquæque res pluris æstimeretur , quantò ea pretiosior est ; ac major ejus præ reliquis cura habeatur , cujus jactura gravius possidenti damnum causare posset. Quid tibi ô homo ! est anima tuâ pretiosius ? si ejus pretium ignoras , Christum interroga , quanti eam fecerit ? pro qua non terram , non hominem , non mundum , sed plus his , nempe suum infiniti pretii sanguinem , & vitam dedit. Hoc proinde sanguinis Christi pretium curæ tuæ ita creditum est , ut à te repetendum certò scias ? Vide , mi Parthenophile ! quò princeps tuâ deliberantis cura dirigi debeat ? ut nempe animæ tuæ bene , imò optimè sit consultum ,

2. Hoc unum est necessarium, ut anima salvetur; hujus saluti reliqua omnia posthabenda. Si opibus abundes, emineas dignitatibus, diffluas delitiis, quid hæc tibi omnia, & quamdiu prodesse? si cum his anima tua in salutis discrimine versaretur. Hæc prima deliberanti sit tessera: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Matth. 16. Reliquarum rerum omnium, præter animam, jactura vel curanda multum non est, vel reparabilis est; animâ vero semel amissâ, simul perdita sunt omnia: Terra, cœlum, DEUS. Vide, mi Parthenophile! quid eligas? si sapias, illud elige, quod animæ tuæ vides esse consultissimum.

3. Si animam, ut debes, æstimas, ejus salutem prudenti periculo non objicies, nec in eo statu collocabis, in quo fortè possit salvari. Nec frivolum illam cogitationem in animum admittes: *in quolibet statu possum salvari. Posse salvari, & certò salvum fieri, heu quantum distant? nullus est in inferno, qui non potuisset salvari, sunt tamen salvati? Hoccine foret animam tuam*

tuam curare , si ejus salutem casui ;
 fortuito eventui committeres ? cū in
 tua sit potestate eandem in tutiori col-
 locare. Si plures tibi animæ forent ,
 ut amissâ unâ majorem alterius salvan-
 dæ curam habere posses , esset fortè
 ignaviæ tuæ venia, nunc verò cū uni-
 ca sit, cū tua sit, cū in ejus felici-
 tate tuum bonum æternum sit, nisi
 eam in maxima, quâ potes, securitate
 constituas, ne tu hominum non tan-
 tum ignavissimus, sed insanissimus es.
 Quanquam anima ita tua sit, ut mini-
 mē tua sit ; Est enim illa Sanctissimæ
 Trinitatis imago, est pretiosum coeli
 depositum, tuæ, quamdiu vivis, curæ
 commissum. Sed ità, ut ejus salus è ma-
 nibus & negotiatione tua sit repetenda,
 Tibi dicitur : Redde rationem villica-
 tionis tuæ. Tua est anima. Domus non
 est tua, quam incolis ; pecunia non est
 tua, quam possides ; nec vestis, quam
 gestas tua ; anima sola tua est. Illa om-
 nia te deserent, nihil eorum te sequetur
 ad æternitatem præter animam ; hujus
 proinde, quæ maximè tua est, princi-
 pem curam gere.

4. O quantam homines corporis sui
 curam gerunt ? quàm solliciti, ut huic

nihil desit, quàm providi, ut ab incommodis omnibus, taceo periculis, præservetur. In ejus valetudinem profunduntur opes, in sustentationem expenditur omnis substantia? & numquid anima plus est, quàm corpus? illa est portio quædam Divinitatis, hoc terra & lutum; illa est SS. Trinitatis imago, hoc brutalibus obnoxium cupiditatibus; immortalis illa est & DEO coæva, hoc proximum corruptioni; & ubi cogitationes nostræ? ubi consilia? ubi corpus pasci possit, attendimus, animæ securitatem minùs expendimus. Nonne anima plus est, quàm esca? Vide, qualis amentia! statum eligere, ut vivere possis, nec curare, ut bene vivere possis!

5. Noli decipi, si audias; quòd plures cælum portas habeat apertas; non esse ad unam Religiosi status & austerioris vitæ portam cogendos omnes. In quolibet vitæ statu vixisse multos, qui salutem sint consecuti. Non esse scrupulosè de statu vitæ dubitandum, in quocunque sis, modò præcepta serves, salva esse omnia; cum non Jerosolymis fuisse, verùm ibi bene vixisse, laudem mereatur. His aliisque cogitationibus
noli

noli decipi Parthenophile! licet multi è quolibet statu salvati sint, non quisque tamen in quolibet statu salvatus fuisset. Sunt in cœlo seculares, qui damnati fuissent in Religione; vice versâ: salvi sunt Religiosi, qui in sæculo perivissent. Hoc supremi DEI domini arcanum est: in quo quemlibet statu salvare decreverit, in alio periturum; certo vitæ statui suarum DEUS gratiarum seriem respectu cujusque alligavit, hunc qui non reperit, à salute recedit. Vide, quàm cautè eligendum!

6. Jacturam patiri rei, quæ nauci sit, tolerabile foret, licet imprudentiæ notam nec hic effugeret. Errare in negotio, quod emendari potest, veniam meretur; estò ignaviam notet. Damnum subire rei, cui par substitui potest, estò prodigalitati sit, compensari tamen potest. Ast quantam imprudentiam, ignaviam & prodigalitatem post se trahit error iste, qui animæ ruinam concernit? cui semel amissæ nec par quidquam substitui, nec revocari, nec ullo unquam conatu, vel impendiis ullis corrigi poterit. O homo! si animæ tuæ pulchritudinem, immortalitatem, pretium agnosceres, quan-

tâ curâ ejus salutem in tuto locare satageres. *Quàm dabit homo commutationem pro anima sua.* Matth. 16.

7. Qui animam sincere amat, non tantùm de salutis ejus certitudine, quantum potest, maximè in electione statûs deliberare debet, sed & id sollicitè investigare, in quo vitæ statu anima plus boni facere, majora sibi merita comparare, adedque totâ æternitate majorem in cœlo gloriam consequi possit. Amare animam, est illi bonum velle: magis amat, qui majus ei bonum quærit: æternum illi bonum quærit, qui eam illo in statu collocat, ubi plures virtutes acûs magis eximios exercere, augere merita possit, quorum adminiculo majorem in cœlo gloriam nanciscatur. Quid si quem cupiditas tangat aut Virginitatis, aut Doctoratus, aut Martyrii laureolam in cœlo consequendi? Vide, quid vires tuæ possint? quid DEUS inspiret? Aude aliquid, & salvari non contentus ad majora aspira; labora, ut multos tecum cœlo inferas. Vix dignus olympo est, ad cœlum, nullo qui comitante, venit. Christum sic imitaberis,
qui

qui cœlum non ascendit, nisi cum multorum Patrum comitiva.

Affectus.

DEUS, qui animam meam ad imaginem tuam creâsti! tibi pro hoc thesauro tam pretioso gratias ago agamque te benignissimè largiente immortalis. Quia tamen hanc animam meam, id est, imaginem tuam, & pretiosissimi sanguinis tui pretium è manibus meis repetes; si eam, quod absit, perderem, æternis ingratitude meam poenis mulctaturus. Da proinde Domine! ut animæ meæ dignitatem intelligere, pretium æstimare, ac eam illius curam habere possim, ut ad beatissimam tui visionem aliquando venire mereatur. Sit anima mea in manibus, in oculis meis semper, sit verò maximè nunc, ut eum vitæ statum eligam, per quem æternùm bene sit animæ meæ!

Mors deliberanti det Consilium.

Qui est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psal. 88.

1. **O**Mnes morimur, & quasi aquæ dilabimur. 2. Reg. 14. Certitudinem

dinem hanc facit experientia omnes, quos olim ipsi novimus, & nunc in sepulchro putrescunt; facit inevitabile DEI decretum, quo *statutum est omnibus semel mori*. Heb. 9. Facit humanæ naturæ ex pugnantis humoribus compositio. Ex hac certitudine sequi debet hæc conclusio: ergo & tu, mi Parthenophile! *dispone domui tue, quia morieris*. 4. Reg. 20. Nunc, dum de statu vitæ deliberas; ita de domo, id est corpore & anima tua dispone, ut bene, facile, securè moriaris. Ut sera nimis est in fundo parsimonia, ita ibi primùm optare, in quo statu voluisses vivere, cùm desinendum est vivere, serum nimis est. Nunc oculos aperi ad candelam illam, quæ agonizantis manibus inseretur, videas errorem & improvidentiam tuam.

2. *O mors, quàm amara est memoria tua*. Eccli. 41. Si mortis adhuc absentis & fortè in remoto constitutæ amara est memoria, quantò acerbior erit præsentis? sed quibus? nisi incautis & imprudentibus; qui vixerunt, tanquam nunquam morituri, qui eum vitæ statum elegerunt, in quo variis distractionibus, & negotiis obruti rassi-

me

me de morte cogitârunt. Illis verò qui vixerunt, tanquam quotidie morituri, memoriæ hujus frequentia omnem diluit amaritudinem. Qui se diu noctû-que ad mortem feliciter obeundam disposuerunt, illis nec memoria, nec mors ipsa veniet amara, imò solatii plenissima. *Quasi effodientes thesaurum gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum.* Job, 3.

3. O vana hominum studia, & spes inanes; currunt, laborant, fatigantur; officia; negotia, promotiones, divitias sibi designant; id est, sinè fundamento ædificant. Dum enim animo magna, & voluptate plena meditantur, audiunt sibi dici: *Stulte! hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti, cujus erunt?* Luc, 22. *Eccenunc dicitis: Hodie, aut in crastino, in hoc vel illo statu ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; qui ignoratis, quid erit in crastino.* Jac. 4. *Quid spes tuas ponis in divitiis, quas vel habes, vel speras, qui nudus egressus es de utero matris, & nudus reverteris illuc.* Job, 2. *Somnia hæc sunt: Viri divitiarum dormierunt somnum suum, & cum evigila-*

gilaverint, nihil invenient in manibus suis. Psal. 75. Eos tu tibi thesauros congere, quos ærugo non demoliat, qui sint viaticum felicitatis æternitatis. Licet opibus maximis affluas, & primis gaudeas honoribus, hi te a morte non liberabunt; hujus falci Reges & Principes æquè succumbunt ac pauperrimi, & parùm honorati. Cæca & exoculata mors est, nec auri fulgorem, nec splendorem ullum dignitatum observat. Va de ad Cœmeteria, subi ossaria, calvarias examina, & num divitis à mendici calvaria discernere possis, investiga.

4. Omnes quidem eadem lex mortis tangit, sed heu quàm dispar est conditio mortem obeuntium! Horreo cogitare, quàm dura, quàm infelix eorum mors futura sit, qui sui & DEI obliti vitam suam vanitatibus, & sceleribus addixerunt. *Vae vobis! Viri impii, qui dereliquistis legem Domini.* Eccl 41. Si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra! Quàm læta verò, quàm tranquilla erit mors eorum, qui eam vitæ semitam maturè elegerunt, in qua non solùm DEI legem servaverunt, sed & multa bona opera morti præmiserunt. *Timenti Dominum bene erit in*
ex-

extremis, & *in die defunctionis suæ benedicetur.* Eccl. 1. Nunc mi Parthenophile ! dum deliberas, in manu tua positum crede, num *mortem peccatorum pessimam* Psalm. 25. *an pretiosam in conspectu Domini mortem Sanctorum ejus.* Psal. 115. eligas. Qualis vita, mors est ita.

5. *Siccine separas amara mors ?* I. Reg. 15. Mors est à rebus omnibus temporalibus separatio. Separaberis à parentibus, cognatis, amicis, notis ; nihil hi omnes te juvare, nec momentum adjicere vitæ tuæ poterunt, imò nauseabunt ægrum, fugient graveolentem, & mortuum sepulchro inferre properabunt. Vide, quid proderit eum, quem hi suadent, statum eligere ? Separaberis ab opibus, quas possedisti, honoribus, quos consecutus es. *Homo enim cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Psal. 48. Quid proderit ob horum obtinendorum spem hunc præ alio statum meditari ? Separabitur demum anima à corpore, ab hujus commodis, voluptatibus, quarum loco : *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Isa. 64. Estne operæ
pre-

pretium eum, quem sensualitas suadet, vitæ statum eligere.

6. Qui salutis negotium periculo vult exemptum, ita de suo statu deliberet, ut etiam tunc de salute securus esse possit, si repentinâ fortè morte avocetur; quod tam facile deliberanti evenire potest, quàm certum est eam quotidie plurimis obtingere, qui sine ulla præparatione, repente, inopinato casu, in ictu oculi, ex hac ad æternam vitam sunt vocati, & quid tunc cum anima?

Quocunque arbor ceciderit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit. Eccl. 1. Et ibi æternum erit. Credisne tu in quovis te statu salvari posse, licet repente moriaris? non credo te ita præsidentem fore mi Parthenophile! eum tibi præreliquis statum spero placiturum, in quo etiam morte repentina & improvisa securior esse queas de salute.

7. Verum estò mors ordinaria, id est, præviis infirmitibus attritum te mors occupatura sit; videndum tamen est in quo tibi statu lenta hæc mors beatior obtingere possit? Ubi minus tibi futurum impedimenti, ut te ad beatam æternitatem disponas? anne ibi, ubi testamenti condendi, accommodanda-
rum

rum prolium , uxoris deserendæ , vel rationum complandarum , solvendorum debitorum cura tibi incumbet? An, ubi curis temporalibus omnibus expeditus uni DEO, & animæ tuæ vacare poteris? Prævide, ubi contra tentationes, quas tunc dæmon excitabit gravissimas, promptius subsidium, certiolem Patrum Spiritualium assistentiam, plura Spiritûs solatia sis habiturus? sed nec ejus oportet oblivisci, in quo statu plura post mortem suffragia, missas, preces sis obtenturus? & his perpensis fac ea, quæ moriens facta fuisse voles. Elige, tanquam moriturus.

Affectus.

Domine vitæ ac mortis! tuo beneficio vitam hanc debeo, quam tamen ad nutum tuum restituere debebo; quando autem, & quo mortis genere id præstare cogar? in tuo stat arbitrio, Tu es Dominus meus! fiat de me, de vita & morte mea voluntas tua. Hanc, in contestationem dominii tui & subjectionis meæ, de manu tua, quando cunque libuerit, libenter acceptabo. Unum hoc per bonitatem tuam supplex rogo, ut *moriatur anima mea mor-*

te Iustorum! Psal. 23. Quia verò hæc ab electione vitæ maximè pendet, dirige consilia mea, ut eum mihi statum eligam, in quo felicem mortem obtineam, & post hujus miseræ vitæ peregrinationem requiescam in pace!

Deliberans à Judicio extremo petat Consilium.

I. **M**ulta licet sint, quæ mortis vel memoriam homini amaram faciant, id tamen, propter quod jure merito terribilium omnium terribilissima habetur, illud est: quòd post illam severa de omnibus totius vitæ momentis, de actionibus etiam minimis, de verbis & cogitationibus singulis reddenda sit ratio, & ab eo Judice; qui etiam in Angelis reperit pravitatem, inevitabilis & immutabilis audienda sit sententia. Hæc cogitatio eum timorem incussit Hieronymo, ut ex ejus vehementia fateri cogeretur: sive comedam, sive bibam, semper in auribus sonat meis terribilis illa vox: Surgite mortui, venite ad judicium. Hæc vox tot nobilissimos adolescentes abstraxit à matrum ulnis, ex aulis evocavit ad asceteria, à vanitate coëgit ad Religionem.

nem.

nem. Interrogatus aliquando Hilarion an timeret iudicium? In veritate timeo totis artibus contremisco, reposuit. Si vir ita sanctus, qui in tanta austeritate, vigiliis, jejuniis vitam egit, miracula patravit, credebat se necdum satis pro supremo illo die præparasse: verebatur actus suos, ne quid in iis pœnâ Judicis dignum lateret? an non & tibi Parthenophile! justam facere debet sollicitudinem, ut eum vitæ statum in eas, in quo tolerabilius speres iudicium. *Si iustus vix salvabitur, peccato ubi parebit.* I. Petr. 4.

2. *Non Intres Domine in iudicium cum servo tuo.* Psal. 118. Orabat David; timebat DEUM comminantem; *immittam furorem meum, in te, & iudicabo te juxta vias tuas, & ponam contra de omnes abominationes tuas, & non parceret oculus meus super te, & abominationes tue in medio tui erunt.* Ezech. 7. *Quis hic subsistat? Non justificabitur Domine in conspectu tuo omnis vivens.* Psalm. 142. *Quis non metuat? Et si iustus est ob propria peccata metus, quid aget is? è cujus manibus alienas etiam animas repetet DEUS, quas ex Justitia curare tenebatur.* Qui de sua vix subsi-
D
stet,

stet, quomodo is rationem dabit de aliena conscientia? Vide, cui de statui implices? esto pro te primùm sollicitus; cave, ne dum quæris animas, tuam perdas. Gravis est animarum cura! Scito quòd pro his omnibus addueet te DEUS in iudicium. Eccl. 11.

3. Qui te iudicabit, Dominus est, manifestari nos oportet ante tribunal Christi, apparebit signum Filii hominis in caelo, & tum plangent omnes tribus terra, & videbunt Filium hominis in nubibus caeli cum virtute multa & Majestate. Matth. 26. Terribilis iste Dominus in igne veniet, quasi turba quadriga ejus, reddens in indignatione furorẽ suum in flamma ignis, quia in igne dijudicabit. Isa. 66. Judex hic nec prævenitur gratiã, nec misericordiã fletetur, nec poenitentia ibi ampliùs mitigabitur: cujus irati vultus ita terribit omnes, ut præ illius horrore dicturi sint montibus: *cadite super nos, & vallibus: operite nos.* Luc. 23. Qui te sic iudicabit, ille Dominus est, qui te creavit, qui de redemit, qui tibi legem tulit, qui te ad certum vitæ statum actu per inspirationem suam vocat: *cave renuas.* Non iudicabit te homo, non

non

non Pater, aut Mater; cave horum
suasionei DEI consilia postponere.

4. Prævisa tela minus ferunt, quia
facilius declinantur. Nunc tibi deli-
beranti DEUS relinquit iudicium, ita
fer tu sententiam, ut DEI iudicium præ-
oculis habeas; certus, quod de hac ipsa
electione rationem DEO sis redditu-
rus: an supernaturali ex motivo, an
humanis impulsus rationibus eam fece-
ris? an hominum potius placita, quam
DEI consilia sis secutus? an plus de
animæ bono, quam sensualitate corporis
fueris sollicitus? Qui diei illius supre-
mæ obliviscitur, facile tanquam fræno
abjecto, fertur in præcipitium; sed
heu quam durum his iudicium fiet, qui
futurorum immemores præsentia so-
lùm attendunt.

5. Boni & mali comparebunt in ju-
dicio. Sinè differentia *Iustum & im-
pium iudicabit DEUS.* Eccl. 3. Te
quoque fors ea manet Parthenophile!
qui nunc in bivio constitutus, quam
vitæ agendæ viam ingredi te oporteat,
deliberas. Vel bonus adhuc & felix
primam innocentiam conservasti, vel
peccatis DEUM in vindictam provo-
casti? si horum te reum agnoscis, is

tibi vitæ status arripiendus est , qui sit status pœnitentiæ , ut in eo per austeritates pro peccatis tuis satisfaciat, & promeritam Judicis iram mitiges, ac à futuris lapsibus depravatam naturam vigiliis & inediâ coërceas ; si verò etiamnum culpæ gravioris ignarus vitam ad divinæ legis amissim exegisti, eum statum ini, in quo thesaurum in tuto loces, ita lætus judicium expectabis.

6. Ignotum nobis DEUS diem supremum esse voluit, non ut ex improvise perdat, sed bono nostro, ut eum nempe vitæ statum ineamus, in quo ad tribunal illud adeundum semper accincti stemus. *Dies Domini sicut fur veniet.* I. Thes. Dies hic cum inevitabilis sit, ita expectandus est, ut ad tubæ illuc evocantis sonum sine formidine adesse possimus. Si nunc te DEUS ad tribunal hoc citaret, qui te credis substiturum? quomodo subsisteris, qui totâ vitâ curis temporalibus, questui, litibus, aulæ obsequiis ita immerfus vivit, ut non dico dies, sed nec hora suppetat, quâ seriam de salute, de futuro quondam judicio cogitationem admittere possit, omnia curans, præter animam. Hócne eliges?

7. Citabit omnes dies illa, canet turba & intonabit? *Redde rationem villicationis tue.* Dabis Parthenophile rationem de corpore, an illud voluptati, an DEI & proximi obsequio impenderis? de sensibus omnibus, quomodo iis juxta, vel contra DEI legem usus vel abusus sis. Reddes de animæ tuæ donis, de ingenio, talentis rationem, an eadem per socordiam sepeliveris, an ad DEI gloriam, & proximi utilitatem impenderis? si ita: habes quod gaudeas, audies enim: *Euge serve bone & fidelis!* sin minus: iram DEI provocabis; cui enim plus datum est, plus ab eodem repetetur. Reddes DEO rationem de tot gratiæ donis, tot perceptis Sacramentis, divinis instinctibus, admonitionibus sacris, bonis aliorum exemplis, si his fortè contemptis ad vanitatem, ad tua te desideria convertisti. Vide, mi Parthenophile! ne suâ DEUM expectatione prives; quo ille sine hæc tibi præ aliis dederit, maturè perpende, & fac, quod DEUS vult. Cui decem DEUS talenta dedit, is ab eo præmium non speret, si his decem talentis donatus solùm quinque talenta lucrifecerit.

Affectus.

O Domine! Judex vivorum & mortuorum, coram cujus tribunali mihi quoque comparandum erit, ut recipiam prout gesserō in corpore, sive bonum, sive malum; & ideo fragilitatis meæ conscius totus contremisco, ac ut iram tuam affugiam, sollicitus adlaboro. Tu Domine adjuva conatum hunc meum, ut eum vitæ statum, te illuminante nunc eligam, in quo de dictis, & factis meis faciliorem tibi reddere possim rationem. Tuum hac in electione iudicium, non hominum placitum sequi mihi est statutum, non timebo eos, qui ad sequiora invitant, sed eum timebo, illius instinctus observabo, qui me iudicabit.

Deliberans ad infernum descendat pro Consilio.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante. Isa. 33.

I. **I**n bivio stas, quisquis de statu vitæ deliberas, cui te vitæ tutò committere possis ambiguus: cave hic, si ullibi, ne id, quod prima fronte occurrit, arripias, verum rem profundius rimare, quisve semitarum, quas inter
me-

medius hæres, finis & terminus sit, adverte. Diversæ planè ac inter se plurimùm dissimiles tibi viæ proponuntur. Lata una est & spatiosa, facilis & florida, durior altera, & angusta? illam terunt plurimi, per hanc pauci gradiuntur, quam tu eligis? cave præcipites gressum, priùs tam dissimilium viarum, quàm dispar sit exitus vide: illa ducit ad vitam, hæc ad interitum præcipitat. Non est, quod te jam multis moneam Parthenophile! quò gressum dirigas, si sapis, ad interitum non properabis.

2. Si consilium petis, ad inferni atrium tantisper te loca: vide tenebras illas, in quibus infelices animæ æternùm errant, nunquam exitum reperiuræ. Audi fletum & dentium stridorem, ubi ingemiscunt & nemo miseretur, ejulant & nemo flebitur, lamentantur & nemo exaudit. Tange ignem, qui non extinguitur, qui lucet ad dolorum augmentum, ut videant; unde doleant. Experire foetorem, & ubi hæc sensibus explorasti, jam, per melicet, statue, an eorum te velis aggregare consortio, *qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna de-*

scendunt. Reduc in calculum, ex quo statu plures eò præcipitatos invenies?

3. Qui per peccati consuetudinem inferni pœnas commertus est, profecto nullus illi status nimium durus, aut austerus videri debet, per quem merites evadere pœnas, vel notam sibi fragilitatem suam peccandi periculis eripere, id est seipsum ab inferno liberare possit. Huic, quidquid inferno minus est, gratia & beneficium est. Quidquid molestiarum, mortificationum in quocunque statu occurrit, in comparatione pœnarum, quas pati oporteret in inferno, delitiæ sunt. O felix commutatio! si gravissimis totius vitæ miseris, difficultatibus, pœnitentiis redimi possit vel minimus dolorum illorum intolerabilium inferni, ubi *querent homines mortem, & non invenient, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Apoc. 9.

4. Romani Consulis ad Pyrrhum Legatus ducto in terra circulo Pyrrhum inclusit, neve circulo illo, priusquam responsum daret, egrederetur, præcepit. Dum tu Parthenophile tecum deliberas, & à remetipso resolutionem quæris, æternitatis, velim, te circulo
inse-

insere medium, non prius inde cogitationes emissurus, quam resolutionem status feceris. Cogita, quidquid in mundo est, modicum & perbreve est, quidquid post hanc vitam secuturum est, æternum esse; pondera hinc breve, inde æternum; breve incommodi, æternum gaudii; quemcunque statum elegeris, perbreve quid est, sed ab hoc brevi longa pendet æternitas. Ex bona electione felix, infelix ex mala sequetur æternitas.

5. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.*
 Eccl. 12. Imò actu it, tot passibus, quot actiones & cogitationes elicit, quot verba dicit. Omnis nostra actio, locutio & cogitatio sunt ad æternitatem dispositio; si bonæ illæ sint, & DEI, virtutisque regulis conformes, sunt ad beatam æternitatem accessus & via regia, si, quod Numen optimum clementer avertat, malæ forent, tum essent ad infelicem æternitatem præcipitia. Quisque sibi struit, qualem vult, æternitatem, bona vita beatæ, mala pessimæ æternitatis semen est, & fundamentum. Ut Zeuxes olim æternitati pingebat, ita omnis nostra actio & singula cogitatio æterna est, quia

æternum manebit verum, hanc v. g. cogitationem à te factam bonam fuisse. Nihil proinde negligendum mi Parthenophile, cum æterna sint omnia; maximè tamen hæc, in qua versaris, electio erit radix, à qua tota pendeat æternitas.

6. *Descendant in infernum viventes*, optat Psalter Psalm. 54. ne, ut Bern. explicat: *descendant morientes*. Magnum DEI beneficium est, quòd sceleratis infernum sit comminatus. Hauriret homo iniquitatem, sicut aquam, nisi justus hic metus concupiscentias coërceret, & ignis æternus turpes ignes ertingueret. *Gratia DEI est*, ait S. Chrysost. *quòd fide credamus gehennam, omnes eo ituri, nisi crederemus*. Utere hoc DEI beneficio Parthenophile; crede infernum, & eam deliberationi tuæ coronidem impone, ne te poeniteat in æternum. Nullus nunc arderet in inferno, si vitæ statum electurus consilium ab inferno petiisset. Deberet quidem ignea lex Charitatis, quam Spiritus Sanctus excitare & inscribere cordibus humanis solet, sufficere, ut eo accensi ad eum rapiamur statim, in quo de salute certissimi simus; ea tamen est

nostra ad malum inclinatio, ut nisi etiam ignibus ignes, id est, DEI amori metus inferni addatur, non satis efficaciter in nobis ille solus operetur. Deest nempe nobis fides viva, deest fides practica; licet enim credere nos dicamus, ac etiam palam confiteamur infernum esse, ibidem æternas malè viventibus pœnas esse destinatas, opere tamen ipso ita vivimus, eum vitæ statum & modum amplectimur, quasi nullus foret metuendus infernus.

7. Minima pars pœnæ, & minutissima quævis afflictio, si æterna sit, incomparabiliter major, & intolerabilior est omni cruciatu & dolore intensissimo, quam ulla infirmitas causare, vel ullus tyrannus inferre possit; imò omnes, qui ab orbe condito ab omnibus ægris usque huc tolerati sunt dolores, aut qui Martyribus omnibus inflicti sunt cruciatus, ad minimam pœnam inferni comparati, non dolores dicendi sunt, sed delitiæ & voluptas. I jam & digitum candelæ vel quadrantis horæ spatium admotum tene, quos tu brevi dolores senties? & quid flammula hæc ignibus illis æternis omnia depascentibus collata? quid quadrantis spatium
æter-

æternitati commensuratum? Si tibi offerretur posse quinquaginta annis ad tuum gustum vivere, modò horâ priùs in clibano ardente uri sustineas, an velles inire contractum? & quomodo statum eliges, in quo centum etiam annis voluptatibus indulgere possis, sed ex quo abeundum sit ad ignes æternos?

Affectus.

O Mi Domine! quis timor & horror artus meos occupat, dum vel cogito poenas inferni, ubi eheu tot miris, veris tamen modis, tamque atrocibus & horribilibus cruciantur animæ ad coelum ex mente tua destinatæ, nunc æternum perditæ. O Domine non sinas me nunc in electione status errare; Da tu, ut tenebræ inferni me illuminent, ignis ille meum temporem accendat, gemitus illi me doceant, quid eligendum mihi sit in tempore, ne gemam in æternitate. Hic semel errâsse, æternum perivisse! Non sim ex infelicissimis illis mercatoribus, qui pro modico vendam æternitatem, quæ me vel felix vel æternum infelix expectat. Nihil hic datur medium. Tua me DEUS gratia regat, ne in re tanta turpiter
aber.

aberrem, erroremque meum gemere
cogar in æternum.

Deliberaturus Cœlum consulat.

*Gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum
nemo tollet à vobis. Joan. 16.*

I. **C**Um fide doceamur animam ho-
minis rationalem eo fine à DEO
creatam esse, ut cœlum obtrineat, om-
nique bono æternum fruatur, si sanæ
rationi conformiter vivere ac operari
vult, omne ejus desiderium, cura &
sollicitudo eò ferri debet, ut animam
suam salvet, hoc obtento felicissimus,
sine hoc miserrimus, licet præter hoc
omnia alia possideat. Cœlum est om-
nis boni possessio; gaudium sine mœ-
rore, requies sine labore, sanitas absque
languore, spes sine amittendi periculo,
abundantia sine defectu, vita sine mor-
te, beatitudo sine calamitate, perpe-
tuitas sine metu. Estne aliquid, quod
præterea optare possit homo? & hoc
tibi DEUS destinavit Parthenophile!
huc ut venias, contemne viliora. Cur
per multa vagaris, quære bonum, quod
habet omne bonum.

2. Quod Mater Machabæorum à fi-
lio, hoc à te DEUS desiderat; *Pete nate,*

ut coelum aspicias. 2. Mach. 7. Cujus aspectus animavit ad mortem plurimos, ad terrenorum fastidium movit innumeros, ad fortia quæque audenda imbellibus etiam animos addidit. Cœlum aspice, nec diu te dubitare sinet, eam tibi eligendam esse vitæ methodum, quæ te sit illuc securissimè deductura. Hæc una tibi debet esse quæstio, & unica sollicitudo, quæ fuit Evangelici illius Juvenis Christum interrogantis, *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 10. Respondebit utique tibi DEUS, respondebit conscientia, modò attentè audias, *quid loquatur in te Dominus,* & fideliter exequaris.

3. Voluntas humana naturaliter fertur in bonum, hocque tantò amat serventiùs, quantò purius, & ab admixtione mali fuerit remotius. Cor humanum otuari non potest, quin aliquid amet. Ama bonum, quisquis deliberas, sed verum, sed sincerum, non fucatum & apparens; quære delicias, sed stabiles ac æternas: ambi cõmoda, sed præfugitivis sempiterna, quæ nec fur eripiat, nec tineæ aut ærugo demoliatur. Talia si desideras, missis utique aliis
om.

omnem in coelum amorem transferes. Ibi enim, si delectat pulchritudo? *Fulgebunt Justi sicut Sol*; si libertas arridet: *erunt sicut Angeli DEI*; si gustus afficit: *torrente voluptatis suae potabit eos Dominus*; si amicitia in votis est: una Beatorum omnium voluntas est; si honores ambis aut divitias: *Gloria & divitiae in Domo ejus*. Hæc omnia tibi stant venalia: da te, & coelum habebis.

4. Quanti putas constare coelum? pretiosa vili comparari non possunt. Noli decipi: si dubitas quanti coelum sit venale, Apostolos, Martyres, Eremitas consule; consule veritatem æternam: Numquid oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. Pati eum oportuit in fama, pati in animo & in corpore; pati à Judæis, pati à Discipulis, pati à DEO Patre; Si eum oportuit pati, & ita intrare in coelum, quomodo tu per rosas & libertatem, per abundantiam & honores te illud obtenturum speres? Chrysostomi sensum audi? paratum se agebat ipsas inferni poenas sustinere, modò Christi aspectu vel momento frui possit. Quid tu pro coelo facies! quem vivendi modum eliges? non est è terris mollis ad astra via. Re-

gnatio

gnum cœlorum vim patitur , & violenti ,
id est , qui concupiscentiis suis vim in-
ferunt , rapiunt illud .

5. Licet omnes creati simus , ut ad
cœlum perveniamus , tamen , heu pau-
ci sunt , qui eò perveniant . Nolo hic te
Parthenophile revelationibus terrere ,
quæ è sexaginta millibus simul mortuis
non plures tribus animas cœlo receptas
esse prodiderunt , certiora sunt , quæ
sacer codex docet : Multi vocati , pauci
electi , & unde tanta hominum infeli-
citas ? in promptu causa est : *Arcta via
& angusta est semita , quæ ducit ad cœ-
lum , & pauci sunt , qui inveniunt eam.*
Matth. 7. Quia vel sine ulla , vel sine
debita deliberatione vitæ statum eli-
gunt , non quæ æternæ rationes , sed
humanæ considerationes suadent , ideo
pauci electi . Quære tu melius iter ad
cœlum Parthenophile ! in tua nunc il-
lud est potestate : prout statum eliges ,
ita cœlum vel obtinebis , vel amittes .
Vide , ne pro vitro adamantem , pro
fistula cœlum , pro momento perdas
æternitatem .

6. Mirandum sanè , sed & maximè
dolendum est , quòd homines tam pa-
rùm solliciti de cœlo vivant , quasi vix
ope-

operæ pretium esset pro eo laborare, vel quasi DEUS illud nobis largiri foret obligatus. Destinavit nobis cœlum divina bonitas, sed non otiosis, vult ut illud promereamur, pro præmio illud, non pro dono illud constituit; & tamen ô insipientiam! plus curarum & fatigii assumitur, plus expensarum & incommoditatum impenditur pro inferno, quàm pro cœlo obtinendo. Ubi ratio? ubi consilium? Meliora ergo de te Parthenophile! quem cœli adeundi desiderium ad hanc deliberationem permovit, spem mihi facit, pluris te cœlum, quàm alia omnia facturum. Utinam vel à dæmone justam cœli æstimationem discamus, qui ex energumeno paratum se esse dicebat omnes possibiles cruciatus, & omnium Martyrum tormenta usque ad iudicii diem sustinere, modò vel momento unico posset cœlo frui; pro hoc totâ æternitate possidendo minus à te exigitur; nempe salutaris vitæ status electio.

7. Ut differt stella à stella in charitate, ita differt unius Sancti gloria in cœlo ab alterius beatitudine; *recipiet enim verò unusquisque, prout gessit in suo corpore.* Qui plures actus heroicos exercuit, amplio-

E

plio.

pliolem meritorum collegit segetem, hic liberaliorum reciprocè in se DEUM experietur. Hinc gloriosæ illæ in cœlo laureolæ *Virginitatis*, *Martyrii* & *Doctrinæ* non omnibus æque Sanctis promiscuè, sed secundùm meritorum proportionem conferentur. Huc pia deliberantium sollicitudo respiciat, est necesse, ut salvari non contenti ad eum aspirent statum, in quo & plures exercere virtutes, & ampliora colligere merita, & majorem DEO gustum facere, sicque majorem in cœlo gloriam præstolari prudenter possint. Quid tibi fervoris, quid animi sit Parthenophile! deliberatio tua exhibebit. Si me audis, liberalis erga DEUM esto, cœlum assequi non contentus, eum statum delige, in quo merita meritis accumulando amplioris in cœlo gloriæ totâ æternitate possidendæ jacias fundamentum.

Affectus.

O *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Ps. 83.* Ideo DEI bonitate creatus sum; ideo tam copiosa fuit redemptio mea; ideo ad veram fidem vocatur, in DEI agni:

agnitione & timore educatus sum; ideo hæc à DEO talenta naturæ gratiæque tam liberaliter consecutus, ideo usque ad hoc momentum in vita conservatus sum, ut tandem *salvus fiam*. O magna DEI erga me dignatio! cœlum mihi, modò ultrò velim, offerentis! sed quid juvat ad cœlum vocari, nisi detur illud consequi; nunc tempus est eò iter arripiendi. Tu Domine dirige gressus meos, intellectum instrue, move voluntatem, ut eam arripiam vitæ semitam, quæ me ad cœlum, quo unicè aspiro, certò deducat.

Mundus, caro, dæmon, hostes
bonæ deliberationis.

Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem.
Psal. 24.

1. **Q**UOD Sancto Augustino de statu vitæ deligendo deliberanti, & ad viam cœli aspiranti contigit, dum vestem ejus, ut ipse fatetur, carneam concupiscentiæ succutiebant, & dicebant: *Sic nos deseris Augustine?* Idem hodiè quoque deliberantibus accidere solet, dum hi nempe in consilium coram DEO mortem, Judicium, infer-

num, Cœlum, Æternitatem, incorruptos plane Judices, advocant, consulant; his non vocata se miscet *caro*, & *concupiscit adversus Spiritum*; repugnat legi mentis; miscet se mundus; *venite invitat, fruamur bonis, quamdiu sunt, coronemus non rosis, antequam marcescant*; circuit dæmon, præsentia obtrudit, occulit futra, fistulâ dulce canit, ut in sua deliberantem retia alliciat. Aperi oculos Parthenophile, fraudes vide: *Non jacitur rete ante oculos pennatorum.* Prov. I. cautus esto.

2. Quid est illa, quam pessimi consultores tibi suggerunt, voluptas? imaginarium bonum, quod vix esse incipit, jam desinit; & momentum gaudii amaritudinis torrenti compensat. Apage cum omnibus sensuum delitiis, & corporis delectationibus; non emolanti poenitere: breves sunt, turpes sunt, brutales & rationali homine prorsus indignæ sunt; & tamen, heu quot tam excordes reperiuntur mortales, ut in status electione constituti harum cupiditate se turpissimè seduci patiantur, æternæ veritatis prorsus immemores: *Momentaneum, quod delectat; æternum,*

num,

num, quod cruciat, per voluptatem non est
 via ad voluptatem Stulti mercatores,
 ut corpori ad modicum bene sit, non cu-
 ratur, si animæ æternum malè sit. Ca-
 ve Parthenophile carnem audire con-
 sultricem. Cave unquam eo amentiaë
 delaberis, & ita terrenis adhæreas, ut
 dicere cum impiis velis: *Cælum Cæli*
Domino, terram autem dedit filiis hominum.
 Contenti cum porcis hæere in volu-
 tabro luti, cæloque valedicere, modò
 terrenis suis cupiditatibus perpetuò
 frui possint. Pecudum hic, non homi-
 num sensus sit.

3. Nec minùs fallax mundus delibe-
 rantium oculos fascinere, ac objecta re-
 rum abundantia, divitiarumque vel
 in re affluentia, vel in spe cupiditate
 illaqueare adlaborat. Periculosa planè
 tentatio! Hæc juvenem illum Evan-
 gelicum à Christo in sui sequelam voca-
 tum ita infatuavit, ut vocantis DEI
 vocem non secutus, abiit tristis, *erat*
enim habens multas possessiones. Matth.
 19. Vetus hoc mundi artificium vim
 suam hodiernum potentissimam exerit,
 dum ab amore virtutis, auri, argenti-
 que tinnitu, ad luxum, & vanitatem se-
 ducit plurimos. *Mendaces filii homi-*

num, ut quid diligitis vanitatem & queritis mendacium? Psal. 4. Per divitias viam vobis aperitis ad vitia, & his ad ruinam. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. I. Tim. 6. Solæ divitiæ veræ sunt, quas tinea & erugo non demolitur; si ergo divites esse cupitis, veras divitias amate.

4. Quid prodest arca plena pecuniis, si conscientia sit inanis Virtutibus? Bona vis habere, & tu bonus non desideras esse? numquid erubescendi materiam habes, dum domus plena bonis te malum habet Dominum. Quid prodest diviti omne quod habet, si DEUM, qui omnia dedit, non habet? Cui mors ob divitiarum abundantiam pepercit? Stulte; si hac, vel postera nocte animam tuam à te repetat Creator, quæ parasti, aut sperasti, cujus erunt? Habeas agros & vineas, arces & oppida possideas, quid ex his tuum erit in morte; tres terræ cubiti tuæ tunc aviditati sufficient, & ubi tum anima? Quid si cum Epulone, qui induebatur bysso & purpura, epulabatur quotidie, audire debeat? *Fili recepisti bona in vita tua.*

5. Vaferrimus pariter animarum nostrarum hostis dæmon in ruinam nostram semper sollicitus excubat, in deliberatione de statu vitæ constitutos gravius premit, dum uniuscujusque mores & inclinationem examinat; & qua parte debiliorem reperit, illic infestat. Cave versipellis hujus consilia. *Abscoudita est in via pedica ejus, & decipula illius super semitam.* Job. 18. Nullum illi aut negotium aliud, aut desiderium, quàm ut animas in ruinam præcipites agat. Invidet nempe nobis cœlum, quo ipse excidit; invidet Christo gloriam, quam ipsi præstare recusavit, & hac tum erga nos malevolentia, tum erga DEUM odio stimulatus, ab hujus nos obsequio & amore abstrahere. inque sui societatem exitii seducere viribus omnibus adlaborat. Quod nunquam majori conatu satagit, quàm cum deliberantem videt, à cujus electione novit vel vitam pendere, vel mortem æternam.

6. Ut superbissimus iste spiritus arrogantiam cœlum amisit, ascendere, ac similis esse Altissimo cupiens præcipitatus est in barathrum, ita de statu vitæ deliberantes Spiritu superbiæ imbuere solet; dum varios illis honoris gradus in

hoc illóve statu apertos, velut in theatro exhibet, eorumque consequendorum tam spe, quàm desiderio accendit. Huic primos accubitus, viam ostendit facilem ad tribunalia, illi pedum offert & infulas; id est fumos ubique vendit inanissimos, qui quantò ascendunt amplius, tanto plus evanescunt. Ascensum suadet deliberantibus, sed ut lapsu graviore ruant. Difficile est in alto consistere, nec vertiginem pati. Exempla te mi Parthenophile terreat, terreat æterna veritas: Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. *Luc. 10.* O vapor ad modicum apparens, quam tristes olim ciebis lachrymas.

7. Qui Dominum suum veritus non est impudentissimus tentator, minùs te reverebitur; ut à via salutis eligenda præpediat, mille conatus adhibebit; jam semitæ securioris difficultates augebit, tanquam forent insuperabiles: jam spes ingentes, certissimásque proponet, non secus ac olim Christo, dum ei omnia regna mundi ostendit, cum dicit: hæc omnia tibi dabo. Videto, mi Parthenophile! quanti dæmon animam æstimet, pro unius lucro paratus omnia
Re-

Regna mundi dare : utinam nec tu minoris animam tuam facias , sed eam super omnia regna mundi æstimes , & pro ejus securitate statum illum deligas , quem elegisse nec ullo unquam tempore , nec æternitate totâ pœniteat.

Affectus.

Vide me miserum Domine ! ut navis in medio maris deprehensa variorum ventorum potentia nunc huc, nunc illuc impellitur, sic anima mea diversis agitata desideriis , quem secuta petere possit portum ; ignorat ; ideo ad te magne DEUS preces, ad te oculos meos, tanquam ad cynosuram , converto , & cum fluctuantibus olim discipulis tuis clamo : *Domine ! salva nos : perimus !* Caligo mihi lumen eripit ; varia varios in portus motiva impellunt , hinc pyratæ salutem meam infestiterrent, inde Sirenes dulciter canentes invitant ; quò vela vertam ? Ad te Domine vota mea converto ! tu deliberationis meæ cymbulam dirige, tu mihi consilio & auxilio si ades, illico fiet tranquillitas magna Sine tuo Numine nihil est in homine.

Amor DEI sit deliberantis cynosura.

Præbe fili cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant. Prov. 23.

1. **S**l amor est amoris magnes, & certissima ad reciprocum amorem obtinendum via; vide ô Parthenophile! quomodo, quàm tenerè, quàm sollicitè, quàm sincerè, quàm constanter te dilexerit, & diligat DEUS tuus? creavit te, cum non esses, corpus dedit integrum, vires bonas, sensus vivaces; creavit hominem; sui imaginem animæ tuæ impressit; in fide salvifica educavit; coelum tibi præparavit; sanguine te redemit; contulit ingenium tam nobile; inter tot pericula conservavit immunem; quòd nunc vivis, quòd sanus agis, numquid DEI beneficium est? quid denique habuisti boni hæctenus, aut etiamnum habes, quod non accepisti à DEO? & quid retribues Domino pro omnibus, quæ ille magnus Dominus, ille DEUS, absque te perfectissimus, nullo suo commodo, sed ex solo tui amore tibi contulit. Nisi te totum dederis, minus dedisti, quàm debeas; imò estò te totum dederis, quantulum est, quod reddis? centum millia talentorum debes, & minus obulo reddis.

2. DEUS sine te maximus, & felicissimus,

simus, vult, & quærit amari à te ; quanta hæc dignatio ? audebísne DEUM & Dominum tuum hac expectatione privare ? ac sic te amantem non redamare ? Totum ille se pro te dedit , exinanivit semetipsum ; propter te coelum deseruit, ubi gloria & divitiæ in domo ejus. Psal. III. propter te formam servi assumpsit, cui millia millium ministrabant ; propter te tam indigna passus, tam acerbam mortem accepit. Quot vulnera tulit, quod sanguinis guttas fudit, tot ille linguis tui amorem profiteretur, & ad recipiendum sui amorem invitat. Adhúcne tam durus & excors eris, ut eum non diligas, qui prior dilexit te ? non mereatur à te totâ vitâ diligi, qui totâ æternitate dilexit te, ac diligere optat ? Si diligis, eum statum delige, in quo plus & sincerius DEUM diligas. Dic cum Augustino : Amor meus pondus meum, eò feror, quocunque feror.

3. *Nemo potest duobus Dominis servire ; unum enim odio habebit, & alterum diliget.* Frustra te torques mi Parthenophile ! non potes DEUM simul & te ipsum, Creatorem unâ & creaturam amare. Vel solus amandus est DEUS, vel non amatur, *diliges DEUM tuum*

(cla

(clamat verus amor) *ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis.*
 Marc. 22. Si toto corde non amas, nihil amas. Zelotypus DEI amor est, parem non patitur, corrivalem non admittit; totus vult cor tuum possidere. *Minus te Domine amat, qui aliquid amat, quod propter te non amat.* S. Aug. Nec difficile tibi esse potest DEUM amare, huius amore reliqua omnia dimittere, quando in eo bona omnia cumulatissime reperies. DEUS meus mihi omnia. Hunc si amas, dives es; huic vivere si eligis, felix es. *Vae anime audaci, que speravit, si à DEO recessisset, aliquid se melius habituram.* S. Aug.

4. Quid est DEUM amare? nisi idem cum illo velle. Ubi voluntatum est diversitas, ibi mutuus amor esse non potest. Idem velle; idemque nolle veri amoris characteristica est. Ille verè DEUM amat, qui plenâ voluntatis suæ in divina resignatione dicit cum Apostolo: *Domine! quid me vis facere?* omne id amplecti paratus, quidquid sciverit DEUM velle. Vis scire, an ames DEUM Parthenophile? tua deliberatio te docebit, quâ promptitudine DEUM intus monentem sequeris, tantum amas.

Cor

Cor suum DEO subtrahit, qui illud ad hujus vocantis nutum obdurat: Oves meæ vocem meam audiunt. Audi, qui in te loquatur Dominus? redi ad cor, ausculta, quid à te DEUS velit. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94.

5. Circumspice omnia, & nullum invenies, qui prius & sincerius te dilexerit, quàm DEUS tuus, ille dilectione perpetuâ dilexit te, absque suo utili dilexit te, opere ipso dilexit te, dum tradidit semetipsum pro te. *Ephes. 5.* Non est proinde cui plus fidere possis, quàm DEO; hic unice bonum tuum quærit, imò seipsum à te amari, non nisi bono tuo desiderat. Hoc ejus arcanum est: quisquis non DEUM, sed seipsum amat, ille seipsum maximè odit; & quisquis DEUM, non semetipsum amat, ille se optimè amat; nemo se magis diligit, vel sibi melius consulit, quàm qui DEUM diligit. Vides jam Parthenophile! meliorem tibi non esse amicum, à quo deliberaturus consilium expetas, quàm sit DEUS. Alii qui se amicos simulant, te olim deserent; tu cum DEO, & ille tecum erit in æternum; neminem, nisi desertus, deserit.

6. Si

6. Si DEO seposito ames alia, & omnia possideas, quid habebis? occupare te poterunt, satiari non poterunt. Alia omnia finita sunt, durant ad tempus, sunt ad momentum; anima tua æterna est, temporalibus non expletur; Spiritus est, corporeis non reficitur. Expertus testatur Augustinus: *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Vide, mi Parthenophile! dum deliberas, bonum quære, sed in quo est omne bonum. Si bonam vitam appetis, quære in bonorum omnium fonte, cave fodere tibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Si quæris, quod te delectet, in eo invenies, qui fecit omnia delectabilia. Alia delectant superficialiter, DEUS intimè; alia in extimis tantum labris, DEUS medullitus; alia modicum, DEUS æternum. Paucis concludo, conclude & tu. Ama DEUM, & eligo quod vis, imò quod ille vult.

7. Si quis dixerit, quoniam diligit DEUM, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; DEUM quem non videt, quomodo diligere potest? & hoc mandatum habemus à DEO; ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum. Si
DEUM

DEUM diligis, fac ut à pluribus diligatur ; si eum sincerè amas, imaginem eius peccatorum sordibus nec in proximo conspurcari patere. Si DEO afficeris, impedi, ne DEUS amor tuus æternùm blasphemetur, eripe animas à perditione. Fortè multarum animarum salutem tuæ vocationi alligavit DEUS, quæ nisi tua cooperatione, non salvabuntur. Examina Parthenophile vires tuas, quid possint? eum vitæ statum, an pro te sit, investiga, in quo non tuam solùm animam, sed cum hac multas ad DEUM adducas. Divinorum omnium divinissimum est, DEO cooperari in salutem animarum.

Affectus.

O Ignis, qui semper ardes, nunquam extingueris! O amor, qui semper uris, & nunquam tepescis! ecce cor meum! cor tepidum! cor ambiguum! accende illud, ut te incessanter amet; trahe illud, quò tu vis, in funiculis charitatis, ut diligam te DEUS meus, Adjutor meus, Amator meus! Diligam te dono tuo, modulo mea, minùs quidem justo, sed planè non minùs posse meo. Amo & amabo te: licet, quantum debeo,

beo, non possim; non possum tamen ultra, quam possim! potero plus, cum tu plus donare dignaberis; nunquam tamen, prout dignus es amari. Amote, sed & proximum propter te, tui & hujus amore statum eligam, in quo ego cum pluribus amen te, & ita nunc amare incipiam, ut nunquam desinam!

An expediat Juveni citò de statu vitæ deliberare,

1. **D**eliberationem de statu vitæ eligendo differre, tentatio est dæmonis, volentis impedire salutem hominis; ideo vaferrimus hic animæ hostis ingerit metum erroris, quòd juvenis rem tantam, quanta est electio status, necdum intelligat, nec satis penetrare possit. Cum tamen

2. Vocatio non tam sit labor nostri judicii, quam gratia & donum DEI: dona verò innocentibus facilius largitur DEUS. Quò innocentiores, tantò certius in te operatur Spiritus Sanctus; quò plùs maturescunt juvenes, tantò majus periculum est amittendæ innocentiae; adeoque tanto minus gratia DEI digni evadunt. Præstat prævenire, quam præveniri.

3. Si

3. Si parvuli adhuc possunt arti pictoriae applicari: cur non etiam liceat se disponere ad aliquem alium statum?

4. Quid tibi nocet citò deliberare? si dicas, te posse errare: numquid ubi errorem adverteris, electionem mutare poteris? statue nunc pro nunc, id est: nisi alia rationes in contrarium avocent.

5. Si citò, sub probabilitate ad minimum, aliquem tibi statum præfigas, melius te pro eo aptare poteris, & prævidere, quem, qualemve te gerere, quibus rebus assuescere debeas.

6. Multi vellent in altioribus scholis aliquem statum amplecti, sed non possunt: vel quia neglecti sunt in scholis inferioribus, vel quia pravis moribus assueverunt; qui si maturè de hoc statu, quem nunc appetunt, cogitassent, melius se tam virtuti quàm studiis applicuissent.

7. DEUS, qui omnia sapientissimè facit, multos à teneris vocavit, ut testatur Evangelium de Adolescente. *Luce 10.* Imò quosdam statim à primo usu rationis ad certum statum determinavit. Sic S. Thomas decimo quarto ætatis anno, B. Aloysius decimo tertio, S. Benedictus duodecimo Religionem ingredi statuerunt; & nullus horum erravit.

8. *Non amat tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Moras suadere solet diabolus ; differt, ut auferat deliberationem, sine qua cœcum juvenem facile in suos casses inducit. Non est bonum signum in juvene, si, quò tendat ? interrogatus, semper cum Æsopo itinerante respondeat : *nescio*

9. Si juvenes deliberare negligant, postea sæpe à DEO deseruntur. Sic sponsus cœlestis sponsæ animæ adhuc in lectulo manè, id est in juventute prima loqui voluit, sed quia hæc pulsanti non aperuit, ille declinavit, nec rediit C.S.

10. Si satis maturus es, ut scias graviter peccare ; & possis, si velles, viam ad infernum eligere ; cur non etiam satis de maturum judicas, ut viam ad cœlum invenire & eligere possis ? Anne DEUS plus luminis tibi dabit ad ruinam, quàm ad salutem tuam ? blasphemia est, ita de DEO sentire.

11. Nec dicas : DEUM jam scire, quid ex te fiet, te curam hanc illi relinquere ; hæc quippe dicere præsumptio est ? DEUS enim expectat tuam cooperationem. *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.*

12. Nocent plurimum Juvenibus :
qui

qui iis suadent, ut se occultent; stabili
 Confessario non utantur; caveant eos,
 qui ipsis vellent consilio adesse; ne se
 præcipitent in electione status; adhuc
 satis temporis futurum. Hæc certè non
 suggerit Spiritus Sanctus. Qui hæc ju-
 venibus ingerunt, horum salutem non
 attendunt, sed privatas & profanas ha-
 bent considerationes; viderint, quomo-
 do DEO respondebunt.

Qui excludendi à deliberatione.

I. **Q**ui nimium immaturæ sunt æta-
 tis, & rationem nullam penetra-
 re adhuc possunt; talibus satis erit sua-
 dere, ut contentur servare mentis, & cor-
 poris innocentiam; quâ servatâ indubiè
 faciet DEUS, ut ad viam bonam perve-
 niant. Monendi insuper, ut frequenter
 DEUM in suis precibus, item sub Missa
 tempore elevationis; maximè verò sub
 sacra Communionem ferventer orent, &
 agnoscant, in quo statu DEUS ipsos ve-
 lit habere.

2. Accidit non rarò, ut etiam ætate
 immaturi, qui necdum rationes ponde-
 rare possunt, habeant ad aliquem statum
 internam inclinationem, & quendam
 impulsum; tales, si status ille bonus sit,

permittendi sunt in sua intentione, donec capaciores facti rationes expendere possint, an expediat eum statum amplecti, ad quem inclinant.

3. Qui nimium leves & valde inconstantes sunt, quibus hodie placet aliquid, cras idem displicet, frustra deliberant, quis enim solidum fundamentum speret ex arundinibus, quæ quovis vento huc illuc moventur.

4. Qui habent passiones indomitas, naturam valde asperam, sui judicii tenacem; vel qui addicti sunt pravis habitibus peccatorum, antequam hos emendent, frustra deliberant, tales enim nec pro Ecclesiastico statu, nec pro Religioso valent. Eò enim differre emendationem est se decipere, & animam damnationis periculo exponere.

5. Qui jam sunt determinati ad aliquem statum ita, ut illis nihil aliud arideat; non habent primum fundamentum ad deliberationem necessarium, nempe indifferentiam; & quamdiu ad hanc non disponuntur, non admittendi sunt ad deliberationem.

6. Nimum viribus debiles, aut morbis obnoxii non egent deliberatione, tales enim statum pati debent plus, quam
eli-

eligere: nec enim in potestate illorum est hunc vel illum statum ingredi. Tales minimè valent pro ingressu Religionis ullius, cum sint ad ferenda onera Religiosi status insufficientes; plus enim studere deberent valetudini, quàm perfectioni; plus hi obessent Religioni: quis cum illis ingrederetur singularitas, indulgentia, & exemptio à communibus oneribus; quæ sunt pestes & ruina Religiosorum.

7. Minùs egent deliberatione ii, quos natura, vel casus infelix ad statum sæcularem determinavit: ut sunt cæci, claudi, insigniter deformes, aut mutili, quos sacri Canones à Religione & statu Clericali arcent.

8. Leges etiam municipales alicubi vetant eos, qui mancipia sunt, Religionem, aut statum Ecclesiasticum amplecti; hi proinde, nisi priùs veniam à Dominis impetrent, de alio statu, cum injuria tertii, deliberare non possunt, uti nec gravi ære alieno gravati.

9. Per quorum ingressum in Religionem grave damnum pateretur Republica, uti accedere potest in Principum & Regum prolibus, quæ si statum Ecclesiasticum ingrederentur, sequerentur,

defectu legitimæ successionis , gravia bella, diffensiones publicæ, aut similia gravia damna publica, hi cogitare absque ulteriori deliberatione debent, DEO gratius futurum, ut manendo in sæculo publicas calamitates impediunt, quàm ut illi pro sua privata quiete & devotione precibus in Religione vacent.

10. Qui nimium stupidi sunt, illi tam ferium & grave negotium, quale est deliberatio de statu vitæ, frustra assumerent.

Dispositio ad deliberationem de statu vitæ.

1. **U**T divina vocatio intelligatur, requiritur conscientia à peccato gravi munda ; nam *in malevolam animam non introibit Spiritus sapientie.* Sap. 1. Ut in charta Virgine & pura facilius est scribere, quàm in smucida & sordida, ita dici deliberantibus posset : *ideo vos non auditis inspirationes, quia ex DEO non estis.* Joan. 8. Habitus pravi peccatorum prius debent exui, antequam deliberatio de vitæ statu instituat. Christus in Evangelio non prius vocavit Juvenem ad sui sequelam, quàm intellexisset, *quòd omnia mandata*

data

data DEI à juventute sua observaverit.
 Innocentia vitæ optima est ad DEI vo-
 cationem dispositio ; qui hanc servant,
 curæ sunt DEO.

2. Pro conservanda, conscientia pu-
 ritate suadendum deliberantibus, ut sæ-
 pè confiteantur & communicent : ideo
 communiter solet devotio, vel per de-
 cem dies Veneris Xaveriana, vel alia
 similis ab iis institui.

3. Cum vocatio sit tantum DEI do-
 num, quantum est salutis æternæ con-
 secutio, à qua hæc pendet, ideo pro ea
 impetranda rogandus est DEUS fre-
 quenter ; id quod fieri poterit tempore
 S. Communionis, vel sub elevatione
 tempore Missæ, vel dum aliàs templum
 aditur. Quia verò parùm orat, qui tan-
 tum in templo orat, assuescat deliberans
 jaculatoriis brevibus. v. g. *DEUS in ad-
 jutorium meum intende ; Loquere Domine,
 quie audit servus tuus ; Veni S. Spiritus, &c.*
 quas durante deliberatione frequentissi-
 mè iteret, & cum affectu.

4. Pro dono vocationis impetrando
 eligendi sunt in cælo intercessores, præ-
 cipuè salutis nostræ Genitrix, & DEI
 SS. Virgo MARIA ; frequentandum ejus
 sacellum Laurentanum, in quo illa DEI

voluntatem intellexit. Negotium idem S. Angelo Custodi, aliisque SS. Patronis per preces, & alia bona opera commendandum.

5. Petitio hujus gratiæ debet fieri cum indifferentia, & animi promptitudine ad id omne exequendum, quod deliberans intellexerit esse à mente Divina. Ingeminet sæpe: *Paratum cor meum DEUS, paratum! fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra.*

6. Adhibendæ aliquæ mortificationes, cujusque statui præsentis accommodatæ, aliaque pia opera. Offer etiam aliqua pro animabus purgatorii, per quæ si aliquam ex his poenis liberares, quàm illa fideliter pro te apud DEUM ageret, pro hac, quam petis, tibi que tam necessaria, gratia impetranda.

7. Juvit etiam multos lectio considerata libelli spiritualis, per quam sæpe DEUS multis vocationem aperuit. Nec Conciones, aut exhortationes sacrae sunt negligendæ.

8. Adeundus durante deliberatione, etiam extra Confessionem, est animæ tuæ Director; sic Christus Saulum ad Ananiam, & B. V. Aloysium misit ad Confessarium. Si huic animæ tuæ sta-
t US

tus notus ex integro non esset, prodeffet ei totam conscientiam vel per Confessionem Generalem, vel extra hanc, per modum faciendæ rationis conscientia, aperire.

9. Secum etiam deliberans sæpe agat, maximè diebus Communionis; attendat ad inspirationes divinas; consideret, quid sibi expediat? Commoda, incommodaque hujus & illius status expendat.

10. Instinctus, quos senserit, motiva quæ inciderint; rationes pro hoc vel illo statu, vel contra, occurrentes in charta notet, ut eas conferre cum Confessario, & sic faciliùs deliberationem finire possit.

Scopuli Deliberationis.

Dæmon sciens à bona status electione salutem hominis pendere, omni modo laborat impedire deliberationem, vel satagit, ut ea non debite, sed perfunctoriè peragatur. Ejus artes sunt:

I. Persuadere deliberanti, ut se DEO committat, jam illum scire, quid te fiet. Quasi verò DEUS non exigeret nostram, cooperationem, & qui creavit nos sine nobis, etiam salvaturus nos esset absque nobis. Ita te DEO committe; ut tu fa-

cias, quantum potes ad agnoscendam
ejus voluntatem.

2. Inveterata persuasio vel affectio ad
certum statum, quem vel convictu, vel
alicujus persuasione quis elegit, nocet
deliberationi, quæ rationi debet inniti,
& indifferentiam prærequirit.

3. Permittere se parentum dispositio-
ni, & voluntati non est semper tutum;
nam tu DEO dabis de te rationem; non
Parentes. Hi pariter te non salvabunt.
Nisi proinde agnoscas Parentum volun-
tatem esse DEI nutui conformem, illam
curare, hac in re, non oportet. Præce-
dit patris nostri, qui in cœlis est, volun-
tas; de quo alibi plura.

4. De tempore ad tempus differre de-
liberationem, & variis obstaculis posi-
tis impedire dæmon solet, *differre no-
lentis est.* Negotium animæ ac æterni-
tatis omnibus aliis præponendum est.
Hac dilatione quærit dæmon, vel ut
occasio status, ad quem à DEO destina-
ris, ingrediendi elabatur; vel ut pravis
habitibus assuescas; aut alius obex oc-
currat, quo impediaris à statu, in quo
salvari deberes.

5. Contentum esse inclinatione illa,
quam deliberans sentit ad aliquem sta-
tum,

tum,

tum, non est consultum, sed an hæc inclinatio sit juxta DEI voluntatem, an sit rationi conformis? debet examinari. *Examine Spiritus, an à DEO sint.* Voluntas est cœca, nisi ei ratio præferat facem, errat & impingit. Sæpe appetimus, quæ nobis maximè noxia sunt; si voluntas & Ratio consenserit, salva res est; sin minus: voluntas rationi debet cedere.

6. Cogitare, quòd quis possit in quovis statu salvari, est se periculo salutis exponere. Posse salvari, non est certò salvari. Etiam qui damnati sunt, potuissent salvari, numquid salvabuntur? id quærendum, ubi certò salvaberis?

7. Facere deliberationem, sed solum cæremonialiter, id est, peragere externè Communiones & preces, &c. absque eo, quòd Rationes expendantur, est deliberationem negligere, quæ consistit maximè in sedulo conatu DEI voluntatem intelligendi.

8. Semper dubitare, nescire se resolvere, vel naturæ pusillæ vitium est, vel dæmonis artificium. Expectare revelationem, vel Angeli monitionem, ut aliquibus facta est, arrogantia foret. Mediis ordinariis utendum est. Si te prudens

dens

dens ratio ducat; si potens simul affectus
inclinat, si & inclinationem & rationes
tuas animæ Dux probet; quid hæres?

9. Timor ille, quo quis cogitat, se
posse errare vanus est, Vel enim adest
justi timoris causa, vel nulla est. Si
nulla: imprudens timor est; si adest:
prudentiores consule: *Qui dedit velle,
dabit & perficere.* Sæpe timor hic ima-
ginarius potius est. Ufu mollescunt om-
nia. DEO etiam aliquid fidendum; qui
plerumque solum bonam voluntatem,
& conatum nostrum expectat, reliqua
ipse supplet.

Considerationes pro Statu sæ- culari.

1. **P**Otest quis etiam in sæculo certo
salvari; tot sancti & sanctæ vixe-
runt in sæculo, & nunc in cœlo sunt.
Ordinaria via ad cœlum est status sæcu-
laris, à qua non videtur recedendum,
nisi adsint manifesta indicia DEI nos
aliò vocantis.

2. Videtur in sæculo faciliùs obtine-
ri posse salus, quàm in statu Ecclesiasti-
co, vel Religioso; quia quædam his re-
putantur in peccata, quæ sæcularibus
sunt licita. Nec tam severam DEUS à
sæcu-

sæcularibus exigit rationem, quàm à Religiosis & Ecclesiasticis, qui sunt altioris status. Sicut DEUS pepercit Adamo peccanti, Angelo non pepercit: sic videtur DEUS non tam graviter à sæcularibus offendi.

3. In sæculo bene vivere est majoris meriti, ob majorem difficultatem salutis, & plura pericula, quæ debent superari: unde bona opera quæ fiunt à sæcularibus, videntur esse Deo gratiora, quàm facta à Religiosis, illi enim sponte faciunt bona, quæ faciunt, hi coguntur esse boni.

4. Deterret à statu Ecclesiastico & Religioso multorum ex his dispar à statu vita, & multa scandala, quæ ab iis fiunt. Non est in statu sæculari tantum periculum incontinentiæ, ob occasionem matrimonii. *Præstat autem nubere, quam uri*: maximè, cum per ingressum Religionis, vel status Ecclesiastici non exuatur caro & sanguis, nec dæmoni ablata sit potestas hos etiam gravissimè tentandi. Maximè si hanc rationem confirmet deliberantis experientia, quâ se fragiliorum novit, quàm ut carnis & dæmonis tentationibus constanter resistere possit. **Diversas
DEUS**

DEUS diversis naturas dedit, non quævis æquè facile domatur.

5. Religiosa vita, præter cantum in choro, videtur esse otiosa, & ideo pluribus tentationibus obnoxia; è contra in sæculo propter varias distractiones vix tempus invenit tentatio.

6. In sæculo multa bona possunt fieri, quorum non est occasio vel facultas in Religione; ut sunt eleemosynæ, & alia opera misericordiæ corporalis, fundationes, peregrinationes, &c.

7. Continua solitudo & vita claustralis parit tædium, & alit melancholiam. Idem semper agendi modus, & cum iisdem perpetua conversatio facile nauseam parit.

8. Non minor difficultas est semper ab alterius arbitrio pendere in omnibus, maximè si contingat superiores habere asperos. Certè semper totâ vitâ alienam, nunquam suam facere voluntatem, res est ita ardua, & perquam difficilis, ut ad eam se resolvere magno sit opus animo & non vulgari resolutione. Prætereà durum etiam foret à Parentibus, Cognatis, &c. separari.

9. Spes honestæ sustentationis & futuræ in sæculo promotionis, quæ funda-

da-

datur vel in Parentis auctoritate, officii, vel in opibus suorum; Cognatis, Patronisve potentibus; vel demum in propria capacitate ad studia, aliisque talentis.

10. In sæculo est spes prudens vitæ longioris; cum vires non atterantur jejuniis, mortificationibus, &c.

11. Apud sæculares adest in infirmitate fidelius auxilium conjugis, vel filiorum, aut famulorum. Consolatio item in consanguineis, à quibus in occurrentibus necessitatibus, vel adversitatibus sperari potest auxilium.

12. Christiana educatio prolium est res ingentis apud DEUM meriti, propter quam DEUS matrimonium ad Sacramenti dignitatem elevavit.

Reflexio super motiva pro statu sæculari.

AD I. Multum interest inter *posse* salvari, & *certò* salvari, potes inter fluctus maris non mergi, sed quàm incertò. Multi sæculares salvantur, sed plures pereunt; maximè si vel ad statum alium à DEO vocati sunt, vel absque ulla deliberatione cœcè in hoc statu manserunt.

Ad

Ad 2. Obligatio DEUM ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus amandi communis est sæcularibus & aliis. Si obligatio major incumbat Religiosis, numquid etiam media & auxilia iis, ad quæ obligantur, satisfaciendi plura adfunt.

Ad 3. Error est putare sæcularium opera esse magis meritoria; nam quisque actus ex obedientia, vel obligatione voti factus plus meriti habet, quàm ro. alii spontè assumpti. Difficultas quæ se tenet ex parte vel vitio operantis, non auget meritum, sed solum, quæ se tenet ex parte operis; hæc autem respectu omnium est æqualis. Illa obligatio, quam habent Religiosi est voluntaria illis, sicut voluntarium fuit amplecti Religionem.

Ad 4. Si ex eo, quòd aliqui Ecclesiastici aut Religiosi malè vivant, & scandalosè, nemo deberet Religionem ingredi, tum nemo debuisset fieri Apostolus, cum ex horum ordine Petrus Christum negaverit, Judas vendiderit, quanta hæc scandala? Paucorum culpa non est statui imputanda, qui sanctus esse potest, licèt aliqui non semper illi respondeant. Illi, qui non fidunt ser-
vare

vare continentiam, omnino securiùs faciunt, si quærant licitum ejus remedium. Nisi forte quis ad compescendam naturæ ad hæc vitia pronioris facilitatem statum eligere velit austerum; in quo nempe variis mortificationibus, jejuniis, vigiliis, rigore habitus corpus compescatur, eique rebellandi vires adimantur.

Ad 5. Nemo erit otiosus, qui se volet aut sciet occupare. Sancta illa quies aptissima est lectioni, meditationi, studiis, librorum scriptioni, aut etiam laboribus manualibus. Denique sunt Ordines, in quibus otium non invenit locum.

Ad 6. Eleemosyna data non est DEO charior, quàm voluntas eam dandi efficax, si adesset facultas. Numquid liberalius est se, & sua omnia dare DEO, quàm solùm aliqua ex suis.

Ad 7. Testimonium bonæ conscientiae, & solatia spiritualia pellunt omnem tristitiam è corde Religiosi; magis hæc sincera sunt gaudia, quàm mundi: *Vae vobis qui ridetis nunc, quia flebitis,* Luc. 6.

Ad 8. Si quas difficultates habet Religio, habet etiam præmium pro iis certum; re ipsâ tamen difficultates majores

G res

res habet status sæcularis, easque ferre debet ob vanitatem. Etiam is, qui manet in sæculo, plerumque habet alios se superiores, quorum sequi debet voluntatem, sæpe cum maxima sua violentia, & sine merito.

Ad 9. O quàm vanæ sunt illæ spes humanæ! *Maledictus, qui fidit in homine.* Jer. 17. Quàm facilè mutantur hominum favores? Qui spe promotionis vocationem eligit, non speret à DEO benedictionem.

Ad 10. Contrarium docet experientia, & suadet ratio, eò quòd Religiosi Temperantiam & Continentiam (quæ potissimum longævitas sunt media) observent.

Ad 11. Auxilium & solatium certius afferunt in Christo, quàm carne & sanguine juncti; utinam non major ab his desolatio timenda sit.

Ad 12. Quid si filii sint degeneres, improbi? quæ afflictio? quam severa DEO reddenda ratio? numquid etiam Ordo est Sacramentum à Christo institutum?

Cofiderationes contra statum sæcularem.

1. **T**otus mundus in maligno positus est;

est ; quia in eo sunt innumera salutis pericula, tot passim obvia malorum exempla, tot peccatorum illicia. Nemo est, qui nolit esse ditior, qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueos diaboli. Nemo est, qui majores honores non desideret ; hinc ambitio, aliorum oppressio, &c. In mundo caro fovetur, quæ ad gravissima scelera inclinât & seducit.

2. Pauci in mundo salvantur. S. Vincentius Ferrerius testatur ab anima Episcopo Lugdunensi comparenter relatum esse : è triginta millibus hominum unâ die mortuis, præter quinque animas, omnes damnatas fuisse. S. Bertholdo concionante surrexit à mortuis mulier, quæ omnibus in templo audientibus retulit : è sexaginta millibus animarum tres ivisse ad purgatorium, reliquas omnes ad infernum. Eremita quidam sanctioris vitæ Innocentio VII. Papæ dixit : *Ductus ad infernum vidi incidere animas, sicut nives densissimas aërem obnubilantes.* Meritò S. Chrysostomus in concione Antiochiæ (ubi plura quàm centena hominum millia tunc erant) dicebat : quot putatis in civitate nostra sunt, qui salvi fient ? *Infestum quidem*

est quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salvi fiant, sed & de his dubito. Hoc sanè est quod Christus dixit: Spatiosa via est que ducit ad interitum, & multi sunt qui intrant per eam.

3. Quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? anima est æterna, coelum & infernus durant æternum; quæ in mundo delectant, aut te detinent, quam diu durant? certè vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi soli servire.

4. Quid sunt divitiæ, licet maximas in re vel spe habeas? Viri divitiarum dormierunt somnum, & cum evigilaverunt, nihil invenerunt in manibus suis. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & que congregasti, cujus erunt? nihil divitiarum tecum auferes? nudus egressus es de utero matris, nudus regredieris in terram. Divitiis coelum non emitur, sed plerumque perditur.

5. Quid sunt voluptates carnis, & sensuum, licet his indulgeas? turpes sunt, & etiam belluis communes. ipsos nos earum admissarum pudet. Momen-

*taneum quod delectat, aeternum quod cruciat.
Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad in-
ferna descendunt.*

6. Quid in cibo & potu deliciae, & abundantia? dives ille epulabatur quotidie splendide, & sepultus est in inferno, dum Lazarus esuriens translatus est in caelum. Quid prodest corpus facere, quod brevi erit esca vermium, & putredo, ac foedum cadaver.

7. Quid honores? etiam si primos consequaris? sumus sunt. Nihilo te meliorem faciunt. Quis inter Regis & rustici cineres & ossa discernit? *Potentes potenter tormenta patientur.*

8. Quidquid est, quod tibi gratum aut delectabile videtur, quodque te in saeculo detinet, cogita: quamdiu eo frueris? quam brevis & fragilis est vita hominis? quot non quotidie repentinae mortes accidunt, & inexpectatae? Quot tu tibi annos polliceris? licet plurimos speres, quid illi sunt aeternitatem? Cogita hic modicum, ibi aeternum.

9. Innumeræ sunt in mundo cruces, & si quid gaudii sentiunt saeculares, centuplo dolore compensant. Si rem sincero oculo examines, decuplo plus patiuntur saeculares, quam boni Religiosi:

& hi pro cœlo, pro salute, illi pro vanitate, & damnatione. Unde licet DEUS Religiosis cœlum non promississet, tamen ob majorem pacem, & vitæ tranquillitatem præstaret Religionem ingredi, quàm in sæculo opes possidere.

10. Si pauper es; quanta sollicitudo & labores, victum & necessaria pro te, pro tuis conquirendi? si dives es: quot non salutis pericula, ut augeas divitias? quæ cura, ut serves? ne vel ab hoste, aut ab incendio, aut fure, aut aliter perdantur, aut minuantur?

11. Quæ possit esse major afflictio, quam quotidie sollicitum esse de tua, & familiæ domesticæ sustentatione, de tuorum victu, vestitu, solutione; de cura, ne sint infideles. Quam anxius semper metus, ne improvisus aliquis casus infaustus tibi, tuisque accidat in temporalibus?

12. Quot non lites à consanguineis, vel aliis intentatæ? quot non injuriæ, quæ tibi vel fiunt, vel fieri putantur? quot non inimicitia?

13. Continuæ cum illis competentiæ; dum quisque alterum vult officio, honore, favoribus apud altiores excellere: quod si non succedet, quot disgustus, quæ

quæ similtates, odia, & perpetua in-
quies?

14. Tot onera, contributiones, ex-
actiones à Magistratibus & altiori po-
testate impositæ? quot non damna in-
sperata?

15. Cura perpetua rerum tempora-
lium ita totum occupat hominem, ut
vix, etiam per mensem, semel occurrat
Seria, prout dederet, de DEO, rebus di-
vinis, & animæ salute cogitatio. Nulla
oratio, nisi mille distractionibus plena.

16. Matrimonium quàm est dura ser-
vitus: quot non conjugia plena rixis
& contentionibus? nullus infernus pe-
jor muliere litigiosâ; & hoc malum non
habet, nisi per mortem alterutrius par-
tis, remedium.

17. Molestissima est liberorum edu-
catio, & quotidiana de illis cura! uti &
illa sollicitudo, quæ tot injustitiarum
& rapinarum, ac consequenter damna-
tionis causa est, quomodo filiis in futu-
rum de hæreditate aut dote provideri
possit.

18. Licet omnibus difficilis, difficil-
lima tamen specialiter sæcularibus mors
accidit; hac enim imminente, quantus
in horum animis dolor? ob deserendas

opes, quanta in corde afflictio ? ob liberos & conjuges, quæ anxietas ? quid cum orphanis sit futurum ? & hæc cogitationes ita mentem sæcularium occupare in morte solent, ut seriam animæ curam impediunt.

19. Majus in sæcularibus periculum est, ne moriantur sine Sacramentis, sine ullo solatio, & assistentia spirituali.

20. *Tribulatio carnis*, de qua Apostolus, præsertim conjugum altero ægro-tante, absente &c. Vel si non bene inter se conveniant, nec una pars cum altera satisfactionem habeat. Vel quia etiam ibi sunt desideria prava ; accedit Zelotypia, &c.

21. Juxta Thomam Morum : *multò est facilius legem carnis in cœlibatu servare, quàm in matrimonio*, nam libido non curatur usu, sed crescit ; ignis novo pabulo magis ardet ; in hydropico, quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, Turpis servitus, *potestatem sui corporis non habet, alligatus est uxori.* 1. Cor. 7.

22. Pauci sunt, qui castitatem statui suo competentem in sæculo servant. *Omnis ibi caro corrumpit viam suam.* Impudicitia pestis est sæculi, commune malum, quod passim velut aura hauritur,

ritur,

ritur. Cum enim homo diu vivere non possit sine aliqua delectatione, sæcularibus autem desit interna, quæ in anima sentitur, consolatio; ideo convertunt se ad sorditas voluptates carnis, & sensuum. Quidquid in mundo est, concupiscentia carnis est.

Considerationes pro statu Ecclesiastico.

1. **S**Tatus Ecclesiasticus est via media inter sæcularem, & Religiosum; nec illius pericula, nec istius arduitatem habet, adeoque videtur tutissima.

2. Dignior est statu tam sæculari, quàm monastico; hoc quidem ex eo, quòd regimen Ecclesiæ ad statum Ecclesiasticum pertineat; illo verò dignior est, quòd se obliget divino cultui per orationes, missæ sacrificium, quotidianum officium; hinc etiam nascitur exemptio à potestate sæculari, & foro, uti & operibus personalibus, quibus seculares premuntur. Hinc tot privilegia huic statui collata à sacris Canonibus.

3. Occasio multorum bonorum operum, quæ potest facere Ecclesiasticus, exercendo ex officio zelum animarum per conciones, catecheses, administra-

tionem Sacramentorum, assistentiam moribundorum. Item potest impedire plurima mala & scelera; quibus operibus nulla sunt DEO gratiora, nam *divinorum omnium divinissimum est, DEO cooperari in salutem animarum.* S. Dionys.

4. Habet etiam occasionem illius charitatis, quæ æquiparatur martyrio, si nempe vel in peste, aliisve morbis contagiosis, assistendo infirmis morbum contrahat, ex quo moriatur, vel tempore belli apud suas oves (ut tenetur) manendo vitam perdat. *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut ponat animam suam pro fratribus suis.* Hæc est perfectissima Christi imitatio, qui pro nostra salute mortuus est.

5. Certior spes honestæ sustentationis per redditus Ecclesiasticos, maximè si aliunde non adsint à parentibus media sufficientia commode vivendi; nam in statu Ecclesiastico est certior, & faciliior accommodatio ad tale munus, è cuius proventibus quis, absque magno labore, aut injustitia bene vivere possit.

6. Spes etiam est per studiorum & talentorum eminentiam, aut patronorum gratiam promotionis obtinendæ, ad
Ar-

Archidiaconatus , Decanatus præben-
das Canonicales; Infulas, &c.

7. Est major occasio dandi eleemo-
synas , ordinandi aut fundandi Eccle-
sias, quàm in Religione.

8. Honestas , & commoditas vitæ ,
absque illa melancholia religiosa , &
nimia in cibo & aliis corporis austeri-
tatibus severitate , quam non omnes
ferre possunt.

9. Cavetur in hoc statu pernetua &
despotica erga superiores subjectio , ad-
modùm gravis, & ob humorum diver-
sitate ferè intolerabilis. Cavetur
etiam difficultas vivendi cum iis con-
fratribus, cum quibus sæpe primum est
per naturalem quandam antipathiam
nos ægrè posse convenire.

10. Status hic liberat hominem à
molestissimis curis matrimonii, alendæ
uxoris, aut dotandarum prolium ; qui-
bus curis destitutus faciliorem habebit
mortem. Nec periculum est ob supra-
dictorum hæreditatem onerare con-
scientiam injustis acquirendarum opum
subsidiis. Cum enim solus sit, facilius
uni providebit, quàm multis , nec in-
cidet in eas tentationes diaboli , quas
illi subeunt, qui volunt per fas & ne-
fas divites fieri, II.

11. Habet status iste necessitatem bene vivendi, tum quia debet vel quotidie, vel frequenter legere Missam.

12. Præceptum Domini est succurrere parentum necessitati, quod facilius in Ecclesiastico, quam alio statu fieri potest; ob quam causam multi obligantur hunc statum assumere; eò, quòd Religionem ingredi non possint, in qua pro Parentibus juvandis nihil mereri possunt.

Consideratio quid inopia Parentum suadeat.

1. **C**ùm plurimos ad statum Ecclesiasticum cum invitet sublevatio domesticæ paupertatis, ob quam nec ipsi commodè pro suo statu vivere possent, taceo Pacentes, aut Cognatos simili paupertate pressos juvare; videndum est: ne dum nobis aut aliis quærimus panem, perdamus animam.

2. Multi volentes juvare suos assumunt statum Ecclesiasticum, non desiderio serviendi DEO, aut juvandi proximum, sed ut fugiant stivam & aratrum; id est, ut non cogantur in sudore vultûs sui vel ipsi, vel etiam parentes comedere panem, sed hunc
per

per otium valeant obtinere. Hæc certè non est DEI vocatio.

2. Inopia Parentum non qualiscunque, sed gravis eaque præsens, vel moraliter certè futura, causa est, quæ filium impedit ab ingressu Religionis; sed debet eum statum eligere, in quo possit parentibus in vitæ necessitatibus succurrere. Ad hoc enim filii jure naturæ, & divino tenentur, adeoque cum vocatio ad Religionem non sit præceptum, sed tantum consilium, præceptum autem plus obliget, quàm consilium; nemo in tali casu obstringitur sequi vocationem. Quin, etiamsi actu esset in Religione, si aliter alimenta non possent parentes obtinere, teneretur filius deserere Religionem, & Parentibus providere.

4. Cessat hæc obligatio tunc, dum quis plures fratres habet, aut sorores à quibus Parentum sustentatio fieri potest.

5. In eo pariter casu non tenet hæc obligatio manendi in sæculo, vel amplectendi statum Ecclesiasticum, si nec in his statibus haberet spem juvandi Parentes; vel si etiam ingrediendo Religionem posset Parentibus providere de alimentis.

6. Si sit tantummetus aliquis, vel suspicio, quod forte Parentes aliquando possent pervenire ad extremam paupertatem, filius non excusatur ab ingressu Religionis, si ad hanc sentiat vocationem, solum enim excusat certa, aut certo futura necessitas.

7. Cavendum: ne sub pretextu providendi Parentibus, caro aut sanguis aliquem seducat; fit enim justa DEI poena, ut qui specie parentum juvandorum Religiosam vocationem neglexerunt, vix habeant deinde ipsi, unde vivant; taceo, ut alios juvare possint.

8. Solius Patris & Matris gravis necessitas excusat, non autem fratrum, fororum, aut aliorum cognatorum inopia. De his enim ex obligatione juvandis non extat preceptum. Sed nec ordinata charitas foret, ut tu animam salutis periculo exponas ideo, ut Cognatorum aut Fratrum tuorum corpori bene sit. Viderint illi de se, tu salutis tue curam habe; Anima tua plus est, quam corpus illorum.

9. Necessitas, quae impedit ab ingressu Religionis, debet esse solum de alimentione Parentum, non de aliis illorum commodis; aut ut promoveantur, ut splen-

splendidiùs vivant. Plurimi dubitant, an proventus Ecclesiasticos licitè quis possit ad hos fines convertere.

10. Licet Parens esset in gravi necessitate, si tamen filius absque suæ salutis dispendio, & probabili periculo peccati gravis non posset manere in sæculo, non teneretur ob bonum temporale Parentis se salutis æternæ periculo exponere.

11. Si quis ob Parentum inopiam non est vocationem secutus, cessante dein hac causa, non est legitima excusatio ab executione vocationis.

Consideratio contra Statum Petrinum.

1. **D**ignitas Ecclesiastici statûs, & maximè Sacerdotalis parit obligationem vitæ perfectioris & exemplaris, cui si non satisfiat, nascitur majus scandalum inter homines, & gravior culpa apud DEUM.

2. Hic status videtur paria, vel majora pericula salutis habere, quàm sæcularis: in hoc multi damnantur, quia volunt divites fieri, eadem esse potest in Ecclesiasticis cupiditas; nemo ex iis dicit: sufficit. Licet non habeant uxorem, aut proles, volunt tamen se, vel cognatos ditare.

3.

3. Alterum in sæculo periculum salutis facit ambitio promotionum ; nihil minùs tentat dæmon Ecclesiasticos, dum gradu suo non contenti semper ad altiores aspirant, & utinam non hoc frequenter fieret per simoniam.

❧ 4. Plurimi demum damnantur sæculares ob vitia carnis ; sed in his longè majus periculum imminet Ecclesiasticis ; tum quia easdem cum sæcularibus occasiones habent, tum quia non habent remedium incontinentiæ licitum, uti sæculares. Accedit, quod hæc peccata in sacerdotibus sint longè graviora, utpote sacrilegia, ob votum castitatis ordinibus sacris annexum.

5. Cura animarum, quam ex obligatione Justitiæ habent Ecclesiastici Curati, magnum secum fert animæ suæ periculum ; namque è manu illius repetet DEUS animas ovium subditarum, si his malo exemplo præeant ; eas, aut ex ignorantia, aut negligentia non ritè instruant. *Non arbitror, ait S. Chryl. Parochos multos esse, qui salvi fiant, sed multò magis, qui pereant, non tam propriis peccatis, quàm alienis, que non curaverunt, hom. 3. in act. Ap. & quid si negligent vel moribundi confessio-*

fessio-

fectionem audire, vel si absque baptifmo finant, ob suam sensualitatem, infantes mori.

6. Ecclesiastici ob sua obsequia spiritualia recipiunt hic mercedem, vivunt de alteri ferè nihil faciunt sine solutione; adeoque sine dubio minus præmii à DEO accipient, sed audient: *Fili! recipisti bona in vita tua.*

7. Proventus Ecclesiastici possent quidem superflui, & deberent, expendi in pia opera; quàm magnum tamen est periculum malæ eorum dispensationis, vel in lautitias, luxum; vel in superbiam fovendam Cognatorum.

8. Libertas pro libitu vivendi; perpetua cum sæcularibus conversatio; corporis commoditatum abundantia; quotidiana cibi & potus affluentia facit, ut Ecclesiasticus nihil nisi veste à sæculari differat. Inter hæc tum prava exempla, tum vitiorum illicia sanctè & innocenter vivere, res est par miraculo. Unde certis vitiis assuetus centies facilius peribit in statu Ecclesiastico, quàm sæculari.

9. Licet non tam aperta pericula statuis hic haberet; minus tamen præ Religioso securus esset ad salutem, quia

H

caret

caret vigilantia superiorum, exemplis Fratrum, communicatione meritorum in vita, suffragiis in morte.

10. Status Clericalis nec habet licite commoda secularium, nec media & solatia spiritualia Religiosorum: & tamen, bis miseri, eandem cum his habent obligationem ad perfectionem & paria cum illis, vel etiam potiora salutis pericula.

11. Status Ecclesiastici dignitas & prerogativa sita est in cura animarum; Postquam autem aliquis ad pinguius Beneficium promovetur, facile transit in oblivionem cura hæc animarum, & illi succedit cura commoditatum. Quid hinc aliquando solatii in agone.

An cognati de Statu vitæ consulendi.

1. **E**lectio status ita res cuique propria est, ut de ea deliberaturus imaginari sibi debeat, ac si nihil in orbe existeret, præter se, & DEUM; hancque unicam sibi curam esse debere, ut DEO satisfaciat. Unde clarum fit, seponendum esse omnem humanum respectum; non audiendam ullam vocem, nisi

nisi DEI ; nec alias considerationes pensi habendas, præterquam æternas.

2. Cognati in eo toti sunt, ut sanguine juncto statum Ecclesiasticum suadeant, quâ in re nec illis incidit, ut id suadeant ob salutem animæ, sed ob spem ejus promotionis, ob spem & cupiditatem hæreditatis obtinendæ, utpote quæ cognato in hoc statu necessaria non sit futura ; ob desiderium opum à Cognato obtinendarum, &c. Suum hic nempe, non Cognati bonum quærunt.

3. Sicut æger volens curari non vocat sartorem in consilium, sed medicum ; ita suæ animæ salutem quæsiturus non debet in deliberationem admittere Cognatos, quia : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus.*

4. Quid imprudentius, quàm si quis periculosum iter facturum viæ ducem eligat, qui nunquam iter illud iverit, cum plurimos habeat ejus viæ expertissimos. Qui sentiret stimulos ad Religionem, cur sæculares hac de re consulere oporteret ? quid illi hac de re intelligunt ? Qui totus est in appetitu temporalium, quomodo suadebit horum desertionem & contemptum.

5. *Inimici hominis domestici eius.*
 Matth. 10. Cognati plerumque non te,
 sed tua quærunt, imò sua quærunt.
 Habent fines planè inordinatos, eorum
 cogitatio ultra temporalia non assurgit;
 & quâ securitate horum consiliis innite-
 ris?

6. A te DEUS, & non à Parentibus
 aut Cognatis, de te rationem exiget. Tu
 à DEO bonorum remuneratore, & ma-
 lorum vindice, non à Cognatis recipies,
*prout gesseris in corpore, sive bonum, sive
 malum.*

7. Ubi nunc essent Sancti, Thomas,
 Aloysius, & innumeri alii, si Parentum
 & Cognatorum consilia secuti fuissent?

8. Sic cæcus cæco ducatum præstet?
 nonne ambo in foveam cadunt. Sed di-
 cunt amici, ut observat S. Bernardus:
*Noli præcipitantur agere; diu considera:
 magnum est, quod proponis, est opus mul-
 ta deliberatione; experire, quid possis? a-
 micos consule, ne post factum pœniteat.*
*Hæc sapientia mundi terrena, animalis,
 diabolica, inimica salutis, suffocatrix vi-
 tæ, mater est tepiditatis, quæ solet Domino
 vomitum provocare. Ita ille.*

9. Ut tuis bene sit, cur tu te velis ani-
 mæ periculis obijcere? ut tui Fratres
 ma-

ma-

magis optimam habeant hæreditatem, ut facilius accommodentur; ne familia nimium propageretur; ut Cognatos juvare possis; frivolaè considerationes sunt, quid hæ tibi prodesse, si tu perires?

10. *Malè de causa vitæ consilium à fautoribus mortis quaeris.* ait S. Gregorius: Si Consiliarium quaeris, nullus tibi potest esse fidelior, quàm qui non tua, sed te, imò non te, sed animam tuam diligit. Outinam pauci sint, qui vel Parentum suasu, vel Cognatorum hortatu vocationem, quam senserunt, negligentes beatam æternitatem perdiderunt, illud à DEO sibi exprobrari audientes: *Vocavi te, renuisti: ego quoque in interitu tuo ridebo.* Quod his infelicibus factum est, tibi quoque, qui nunc deliberas, fieri poterit, si Cognatorum amor apud te DEI amori, & hominum consilia divinæ voluntati prævaleant. Audi, quid loquatur in te Dominus, non quid suadeat Cognatus tuus. Ejus proinde voluntas, non hominum est exequenda.

Considerationes pro Religioso Statu.

1. **R**eligiosum statum sæculari meliorem & perfectiorem esse Christus
 H 3 ipse

ipse docuit, dum juveni illi Evangelico dixit: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, da pauperibus, & veni, sequere me.* Ingressus proinde Religionis magna deliberatione non videtur indigere, nisi aliquod impedimentum adsit, quo minus hoc Christi consilium amplecti quis possit.

2. Unica hæc ad ineundam Religionem ratio sufficere deberet, quod DEUS, qui est æterna veritas, & mentiri nequit, non quomodocunque, sed juratò religionis cœlum promiserit: *Amen Amen dico vobis, omnis, qui reliquerit Patrem & Matrem, &c. propter me; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Si de hac certus sum, quid amplius requiro? Est signum æternæ prædestinationis ad cœlum.

3. In Religione absunt salutis pericula, & peccandi occasiones, ac scelerum illicita, quæ habentur in sæculo. Vitia carnis per castitatem, ambitio per obedientiam, appetitus opum per paupertatem, emendantur. Absunt pariter pravorum exempla, quæ seducant; adeò, ut nisi quis sponte præcipitare se velit in ruinam, facillimè sine ullo gravi lapsu vivere possit.

4. Plu-

4. Plurima hic pariter sunt salutis media, quæ hominem ferè cogunt esse bonum, ut sunt Regulæ, vigilantia Superiorum, assidua Sacramentorum frequentia, exhortationes publicæ & privatæ, aliorum sanctè viventium exempla, lectio librorum spiritualium quotidiana, frequentes corporis mortificationes, meditatio rerum cœlestium, colloquia Religiosa, &c. correctio errorum, sobria diæta.

5. Qui Religionem ingrediuntur, consequuntur integram remissionem omnium peccatorum totâ vitâ priori commissorum, non secus ac si recenter baptizati essent. ita docent SS. Patres: Hieronymus, Anselmus, Bernardus, S. Thomas & Theologi passim; ex quo patet, quantum DEO placeat Religionis ingressus.

6. Religiosus vivit sine ulla cura temporali, nullâ rerum acquirendarum, aut conservandarum sollicitudine angitur, nec victus, nec vestitus, nec habitatio- nis, ulliusve rei similis procurandæ curis torquetur: quod ipsum videtur esse pars magna felicitatis, & illius centu- pli, quod DEUS mundum deserentibus spon- dit.

7. Religiosus, quantò magis liber est à curis terrenis, tantò melius potest totâ mente, & ex integro corde se impendere obsequio & amori DEI, expeditius vacare spiritualibus, ferventiùs & devotiùs orare, magisque animæ suæ saluti providere. Sic tempus impenditur optimè, non erit difficile DEO aliquando de eo reddere rationem.

8. Vivens in Religione sub directione Superiorum semper potest esse certus se facere DEI voluntatem; ille enim de Superioribus dixit: *Qui vos audit, me audit.* Unde Religiosus nunquam potest errare, quidquid agat, modò ex voluntate Moderatorum agat.

9. In Religione habetur occasio plurima merita congregandi, ex tot bonis operibus, & quotidianis virtutum actibus; maximè cum omnis Religiosi actio continua sit jam hujus, jam illius virtutis, jam humilitatis, jam obedientiæ exercitatio. Quorum actuum meritum ex eo plurimum crescit, quòd fiant ex voto, vel obedientia; talia enim opera sunt DEO gratiora, plusque merentur, quàm alia sponte assumpta, ut docet S. Thomas.

10. Mutua participatio omnium merito-

trito-

ritorum facit, ut, quidcunque boni per totum orbem faciunt omnes alii ejusdem Ordinis Religiosi, illius fructum quisque Religiosus in particulari non secus participet, ac si ipse bonum illud fecisset.

11. Dignitas Sacerdotum vel Angelis invidenda, quantum solatium spirituale Religiosis facit; Præterea ex quotidiano Missæ Sacrificio, ex conversione peccatorum, ex assistentia moribundis, quanta meritorum & gloriæ apud DEUM seges expectanda.

12. Religiosus propè certus & securus est se habiturum bonam mortem, cum semper inter sacerdotes vivat, nec facile contingere possit, ut sine Sacramentorum administratione moriatur.

13. Mors, quæ aliis hominibus tam gravis, Religioso facilis est: tum quia jam prius rebus omnibus valedixit, nec habet quidquam, cujus amore tanga- tur, tum quia habet solatium ex vita in obsequio DEI transacta, ob quam certum sibi cœlum expectat in mercedem; tum quia ob preces aliorum Confratrum moribundo assistentium ultimas tentationes facilius vincit.

14. Post mortem Religiosi in multis

Religionibus pro ejus anima etiam mil-
lia Sacrorum leguntur, quæ Religionem
ei etiam post mortem utilem reddunt.

15. Si nec periculum salutis tantum
esset in sæculo, nec promissi tam certa
spes cœli in Religione, tamen amor DEI
persuadere deberet, ut quis relicto mun-
do Christi in Religione serviat, ut eum
sincerius amet & imitetur.

16. Tanta salutis certitudo, ut non
solùm de salute certi sint ex Christi pro-
missione Religiosi, sed insuper sint cum
ipso futuri Judices mundi. *Amen dico
vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia,
& secuti estis me, sedebitis super sedes
duodecim, judicantes duodecim tribus
Israël.*

17. Communis tam Ecclesiasticorum,
quàm secularium consensus, quòd Re-
ligio sit longe perfectior, & securior via
ad cœlum; idè licet illis difficile vi-
deatur in Religione vivere, mallent ta-
men in eadem mori.

18. Quodlibet opus, etiam ex se in-
differens, in Religione fit meritorium.
Opera verò bona sunt in Religione de-
cuplò magis meritoria, quàm in sæcu-
lo; peccata vero, etiam mortalia, ex fra-
gilitate commissa, sunt in Religione mi-
nus

nus

nus gravia, & facilius à DEO remittuntur. Ita S. Thom. 2. 2. q. 186 a. 10.

19. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* Psal. 11. Quid mirum, quòd una sit omnibus vestis & mensa, cum una sit omnibus anima, una voluntas, idem finis. Quantæ propter *meum & tuum* inter sæculares lites & discordiæ.

20. Ingrediendo Religionem satisfacimus DEO, quàm maximè homini fas est, pro beneficiis ab eo acceptis, ac etiam pro se nobis dato; si enim datur DEO tantum, quo plus dari non potest. Dantur DEO omnia externa bona per paupertatem, corpus per castitatem, animæ libertas per obedientiam. Nec Ecclesiasticus, nec sæcularis vel decimam partem horum dat, licèt maximas fundationes & eleemosynas faceret.

21. Consolationibus spiritualibus DEUS Religiosos afficit: utpote quorum animus terrenis cupiditatibus vacuus aptior est ad eas percipiendas. Inter delectationes mundanas autem & spirituales tantum est discrimen, quantum inter Angelos modulantes & porcos grunnientes. Et hæ consolationes internæ faciunt, ut omnia onera Religiosi

giosi status, quæ aliis gravia videri fortè possent, dulcescant, & cum gaudio ferantur. Ubi enim amatur, ibi non laboratur, vel certè labor ipse amatur.

Considerationes contra statum Religiosum.

1. **V**el fieri quis vult bonus Religiosus, vel laxus; si hoc, tunc nec Religiosus est, nisi veste, nec hujus præmia & merita obtinebit; si primum, res est nimium difficilis, & pauci sunt, qui capiant verbum istud. Plures quærunt commoda Religionis, quàm onera.

2. Intollerabilis videtur illa propriæ voluntatis & libertatis abdicatio per votum obedientiæ; ut nunquam possit quis facere, quod vellet; semper debeat id agere, quod nollet.

3. Castitas perpetua quàm difficilis? fortè multis moraliter impossibilis; perpetuò domare concupiscentiam naturalem, quanta difficultas? numquid *melius est, nubere, quàm uri.* 1. Cor. 7. Si quid peccetur contra castitatem, est sacrilegium contra votum. Tentationes in Religione sunt plures, quàm in sæculo, & nullum incontinentiæ remedium; licèt quis vivat in claustro,
pec-

peccandi occasiones nunquam deerunt; sæpe homo sibi ipsi magna est peccandi occasio.

4. Paupertatis votum exspoliat hominem rebus omnibus; quod si non servetur, est peccatum; si servetur, res est difficillima.

5. Difficilimum est servare decem DEI præcepta, & Religiosi per vota & Regulas sibi nova præcepta imponunt, adeoque videntur sibi ipsis augere salutis difficultatem propter transgressionis facilitatem.

6. Peccata Religiosorum sunt graviora, & quasi Angelica; ut DEUS Adamo pepercit, Angelo non pepercit; sic sæcularibus facilius remittit peccata, quam Religiosis. *Cui plus datum est plus requiretur ab eo.*

7. Abdicare se pro tota vita omnibus bonis præsentibus & speratis, commoditatibus in victu, loco habitationis, sociis, amicis, parentibus, voluptatibus licitis, honoribus & dignitatibus mundanis, famâ, nobilitate, facile dicitur, aut cogitatur; sed opere ipso difficile exercetur.

8. Continua per totam vitam victus parsimonia, poenitentiae rigor, clausura,

ra,

ra, solitudo, earumdem semper actio-
num tædium, aliæque innumeræ mör-
tificationes internæ, quæ in Religione
occurrunt, necessariò vitam notabili-
ter abbreviant.

9. Opera sæcularium bona sunt ma-
joris meriti; quidquid enim Religiosi
faciunt, quasi coacti faciunt.

10. Sæculum habet plures occasiones
majoris meriti, quàm Religio; ut pug-
nare pro Christianitate; Pauperum &
Hospitalium curam habere; orphanos
& Viduas tueri contra litigantes; jus
in tribunalibus dicere.

11. In sæculo potest quis esse honori
ac utilitati familiæ suæ, hanc per opes,
aut honores obtinendos augere; ac
etiam per propagationem prolium am-
plificare.

12. In Religione est nimis commo-
da vita, sine ulla cura, in mero otio;
quod nec DEO placet, nec ingenuum
hominem decet.

13. Quid si in Religione quis non per-
severet? quanta infamia tum propria,
tum Parentum & cognationis.

14. In Religione multi vivunt cum
pœnitudine; cuperent non intrasse;
vel etiam aliis dissuadent voce exem-
plo.

plōque. Ipsi novimus fortasse plures, qui cum fervore hoc sensim deficiente ita intepuerunt, ut respicere cœperint, & quas prius deseruerunt sæcularis vitæ delitias, ad eas gradum retulerint. Nec deteriora desunt exempla eorum, qui clam à Religione defecerunt Apostatæ facti, & quodd longè deterrimum, aliqui etiam ad hæreses transiverunt.

Qui possint securè manere in sæculari statu.

1. **Q**ui habent impedimentum, vel ex parte corporis, vel ex parte animi, quò minus possint fieri Religiosi, debent id ipsum accipere pro signo divinæ voluntatis, volentis eos manere in statu sæculari, ut sunt:

2. Nimium debilis complexionis, qui non possent satisfacere obligationibus ordinis Religiosi. Huc revocandi etiam infirmi, qui plus oneris, quàm emolumentum afferrent Religioni.

3. Qui notabili vitio corporis laborant, ut cœci, claudi, mutili, valde deformes.

4. Aliquæ Religiones non admittunt eos, qui usque ad quartam generationem descendunt à Parentibus Judæis vel Sacracenis.

5. Quos

5. Quos major obligatio impedit , prout esset v.g. mancipatus, tales cum injuria Domini , absque hujus venia , nec Religionem , nec sacros ordines adire possunt.

6. Qui gravantur ære alieno , nisi prius hoc expungant ; hi enim onerarent Religionem.

7. Si quis contraxisset sponsalia , sine partis alterius consensu illicitè intraret Religionem, aut statum Ecclesiasticum.

8. Si ex alicujus ingressu ad Religionem sequeretur grave damnum Reipublicæ ; ut accidere posset in filiis Regum, aut magnorum Principum.

9. Qui obligaretur Patri, & Matri in extrema necessitate constitutis succurrere , & hoc in Religione non posset præstare.

10. Qui pravis habitibus adedè diuturnis , & pertinacibus esset immerfus ; ut post conatus etiam serios , & diu probatos sperari prudenter non posset emendatio ; spes enim emendationis ad ingressum Religionis dilata plerumque est vana ; locum tales mutant , non vitium.

11. Qui sunt sui Judicii nimium pertinaciter tenaces , nec caput suum alteri

teri

teri submittere possunt ; uti etiam nimium melancholici , & suspicionibus subjecti ; vel in ira , imò furia præcipientes , quomodo enim hi in pace & charitate cum suis Confratribus viverent ?

12. Nimium stupidi & incapaces , qui nulli negotio serio gerendo apti fore censerentur ; tales opprobrio potius essent Religioni.

13. Aliquæ Religiones à sui consortio excludunt eos , qui sponte homicidium commiserunt , aut qui ob enormia scelera sunt infames.

14. Qui ingressum Religionis , ad quam se credebat vocatum , diu sollicitavit , nec obtinuit , potest acquiescere dispositioni divinæ.

15. Valde scrupulosi , anxii & perplexi non sunt apti pro Religione , donec se emendaverint. Tales fiunt per sua dubia inepti ad agendum , quod deberent ; parum in Spiritu proficiunt , imò tandem fiunt laxiores aliis ; nec raro à scrupulis , & à nimia teneritudine conscientiae ad gravia delicta delabuntur. Cum enim similibus soleant dari principia quaedam à peccato excusantia , his ita inhærent , ut etiam vera peccata committere incipiant ; quique

in principio percolabant culices, deinde etiam camelos glutiant. Deinde hoc hominum genus plerumque est nimium iudicii sui tenax, si enim hoc submittere alieno consilio vellent, facile à suis lepiditatibus liberarentur. Tales per sæpe in uno puncto, & certa materia sunt scrupulosi, & mille dubiis auguntur, in aliis autem magis necessariis sunt laxi, & minus observantes. Præstant proinde his manere in sæculo; si tales Religionem ingrediantur, facile, ut multis accidisse scio, ex ipso novitiatu remittuntur ad sæculum. Utpote facilius distractione, & occupationum varietate, quàm solitudine juvantur.

Considerationes de Religione, quæ habet stabilitatem loci, ut sunt;
 Canonici Regulares S. Augustini,
 Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses.

1. **A**ntiquitas, Sanctitas & Celebritas Ordinis, quòd jam ultra aliquot sæcula floreat, quòd tot sanctos, tot Pontifices, tot Cardinales numeret.

2. Non tantus rigor in jejuniis, corporis mortificationibus ex regula ob-eundis, ut sit periculum valetudinis.

3. Suf-

3. Sufficiens victus, vestitus absque cura & sollicitudine, dat occasionem DEO hilarius servendi.

4. Non est necesse caput fatigare studiis & speculationibus totam vitam, consequenter plus temporis suppetit ad opera pietatis.

5. Chorus quotidianus, per quem diu noctuque laudatur DEUS, per aedificatur proximus.

6 Spes administrandi Parochias, quae plerumque sunt his foundationibus incorporatae, adeoque exercendi Zelum animarum.

7. Vita haec videtur simillima vitae Christi & Apostolorum, cum nec sit nimium rigida, sit tamen sub Regula & Praelati directione.

8. Spes etiam est Praelaturae, in qua multa bona fieri possunt pro gloria DEI.

9. Stabilitas ipsa loci multa habet commoda. Non est opus itinerum incommoda subire; notos longiori jam usu magis benevolos deserere; valetudinem, ob mutationem aerae, periculo exponere. Stabilitas haec juvat etiam, ut quis majorem molem rerum sibi notare, ac pro libris edendis materiam copiosam congerere possit. Quae res

ut publico maximè utilis est, ita etiam utinam plures sibi magis haberent commendatam.

Considerationes contra stabilitatem.

1. **P**erpetuitas superiorum; cum enim non mutantur, possent fieri despotici; quid si antipathici tecum? quanta crux; nisi tu, aut illi moriantur. Quorsum appellabis?

2. Perpetuitas sociorum parit nauseam & tædium. Quid si vel unicus tibi sit contrarius? nec cum, nec sine illo potes vivere; quid si multi mirabiles, laxi?

3. Perpetuitas loci ejusdem est gravis, potest vel naturæ tuæ displicere, vel valetudini obesse, vel per se odiosa esse.

4. Perpetuitas chori & earundem tota vita occupationum ingens facit fastidium.

5. Vita hæc commodior esse videtur, quàm ut sufficiat ad impediendas vel vincendas tentationes, maximè apud illos, qui, quod DEUS avertat, habituati eam assumerent.

6. Studiorum & talentorum nullus ferè usus, tum quod hæc non æstimen-

tur in cœnobiis, tum quod hæc in locis minus celebribus sita, occasionem iis utendi eripiant.

7. Vita, præter Chorum & Missam otiosa, quæ facile vitiosa esse solet, est occasio discordiarum, scissionum, maximè cum electio Prælati fiat per Capitularium suffragia.

8. Si quem ad Parochias, aut bonorum præfecturas ire contingat, eadem illi, quæ Ecclesiasticis, pericula imminet; fit præter vestem facilè sæcularis. Crescit obligatio conscientia, dum cura animarum ex justitia assumitur. In talibus Cænobiis datur occasio ambitioni, ex qua quàm pronum est, ut oculis hominum quis plus quærat satisfacere, quàm DEI beneplacito? Ineuntur amicitia, foventur donis, muneribus, defectuum alienorum diffimulatione, dum quisque alterum offendere cavet.

Considerationes circa Ordines mutare solitos Domicilium.

I. **M**utatio frequens superiorum facit, ut hi scientes potestatem suam non fore diuturnam, magis paternè agant; aut si fortè videantur in

aliquo excedere, facilis ad mediatos superiores recursus.

2. Mutatio loci tollit tædium & facile subvenit valetudini, si huic locus unus non faveat. Commoditas etiam est pluribus innotescendi, & in spiritualibus serviendi.

3. Mutatio ministeriorum hominem reddit aptum ad plura, dat occasionem plus boni proximo præstandi, & ipsa varietas addit novos semper animos ad ea ferventiùs exequenda.

4. Major in his Religionibus occasio exercendi zelum animarum, ædificandi proximum exemplo, & vicissim major fidelium erga has affectus.

5. Major horum ordinum mendicantium paupertas videtur eos vitæ Christi similiores reddere.

6. Plures mortificationes corporis, vigiliæ, videntur securiorem reddere Castitatis Religiosæ observantiam.

7. Major utilitas studiorum, & cum Ordines hi plerumque in Urbibus reperiuntur, datur occasio talenta sua exhibendi ad DEI gloriam, & Ordinis æstimationem.

8. Major Domiciliorum & totius Ordinis inter se communicatio, & charitas inter
inter

inter plures, adeoque major tum meritorum in vita Communicatio, tum spes suffragiorum post mortem.

9. Per variam loci mutationem homo fit in multis magis eruditus idque tam in spiritualibus, quàm literariis rebus, adeoque redditur magis qualificatus ad serviendum DEO & proximo. Qui uni semper loco affixus est, exiguam rerum acquirit experientiam.

Considerationes circa Incommoda Ordinum medicantium.

I. **C**Horus quotidianus ad certa tempora infallibiliter præscriptus cum cantu, apud plerosque satis violento & diuturno tædiosus, nec cuique naturæ aptus, imò etiam corporis viribus intolerabilis.

2. In quibusdam jejuniorum, pœnitentiarum, asperitatum multitudo, non cuivis complexionis proportionata; cùm tamen non ea Religio, quæ durior etiam perfectior sit.

3. In aliquibus ordinibus vestis asperitas, perpetuum cilicium, aut silentium, pedum nuditas, &c. meretur justam considerationem, an constanter sufferri possint,

I 4

4. Men-

4. Mendicatio stipem colligere ad-
mit libertatem homines corrigendi; ea-
dem per p g s sine socio instuta facit
non raro animæ periculum.

4. Mutatio habitationis aut officii
sæpe ingrata, vel valetudini noxia.
Multis etiam superioribus debere se ac-
commodare longè difficilium.

6. Nimia hinc domi egestas, aut Par-
simonia facit necessitatem foris sibi ne-
cessaria procurandi.

7. Apud quosdam vestitus tam la-
neus, quam lineus totâ vitâ per ipsum
Religiosum procurandus.

8. Multæ exemptiones Jubilatorum
facile fiunt causa invidiæ, amaritudi-
nis, cum pauci onera ferre debeant, vel
dum illi aliis de familia dominantur.
Hæ exemptiones causant inter Con-
fratres non raro æmulationem, invi-
diam; iis verò qui privilegiati sunt,
aperitur porta ad laxitatem, impunita-
tem, utinam non etiam ad insolentiam,
& graviora mala; maximè cum hæc
privilegia quandoque aliquos eximant
ab immediatorum superiorum juris-
dictione.

Motiva B. Aloysii, cur Societatem JESU elegerit.

1. **Q**uia finis Societatis JESU maximè accedit ad similitudinem vitæ Christi, qui est regula perfectæ virtutis; ut enim Christus propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, ita finis Societatis est præter propriam, etiam proximi salutem quærere.

2. Legerat in S. Thoma, illam Religionem esse perfectissimam, quæ ad docendum, concionandum, salutem animarum consulendum labores & studia confert; qui dicit; actum ex charitate docendi alios esse perfectiorem martyrio; unius enim animæ salus plus placet DEO, quàm proprii corporis carnificina, severissima jejunia, &c.

3. Non tantum spectabat, ubi salvari, sed ubi magis DEI gloriam, & sic suum erga DEUM, & proximum amorem luculentius testari posset; optabat ad Indos & Japones mitti; fidem Christi propagare; sanguinem fundere.

3. Credebat Societatem omni statui, conditioni prodesse; Regibus in Aula, mendicis in hospitali, parvis in schola, magis in concionibus, omnibus in sa-

cro tribunali, domi & ruri, & militiae
servire; omnibus omnia fieri.

5. Desiderabat specialiter Juventutem DEI timore & amore imbuere! sperabat in Societate sibi occasionem fore in Gymnasiis, Catechesibus, Sodalitiis, &c. id præstandi.

6. Reputabat secum, quod de suis talentis facilius DEO esset rationem redditurus, si ea DEI Gloriæ & animarum saluti impenderet, quàm si otiosa sepeliret.

8. Sperabat se majori cum lætitia moriturum, si plures secum ad cœlum duceret: *Vix dignus olympo est, ad superos, nullo qui comitante venit.*

8. Ut fugeret dignitates Ecclesiasticas, elegit Societatem; cum sciverit in ea votum emitti non modò nullam dignitatem quærendi, sed nec ultrò oblatam admittendi, quam humilitatem judicabat DEO charissimam, & homini securissimam esse.

9. Videbat Societatem plurimos habere adversarios, tot libros contra illam scriptos, tot quotidie jactari calumnias, ideo beatam judicabat, & Christo propter Justitiam patienti valde conformem;

mem;

mem ; evertendam pridem, nisi à DEO specialiter protegeretur.

10. Audiebat aliorum de Societate judicia valdè honorifica : S. Theresiæ, quæ revelatione didicit hoc *Societatis JESU esse privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius JESUS excipiat.* S. Joannæ Virginis Neapolitanæ, cui Christus dixit : *Societas JESU mea est, & illam teneo semper intra cor meum ; & non possum ferre, ut in ea sit, qui habeat notabiles defectus.* S. Philippi Nerii, qui sæpius desideravit admitti ad Societatem JESU, qui dicebat : *Filii Ignatii, qui perseverant in Societate, & ibi moriuntur, sunt Sancti.* Legit pariter in Annalibus Ordinis S. Francisci apud Boverium, quòd P. Madresio Regis Catalauniæ Confessario revelatum fuerit : *Quicumque moritur in Societate JESU, eum vita fruiturum sempiterna.* Uti & Sanctum Franciscum Borgiam cælitus didicisse, id à DEO Societati datum esse privilegium, ut per trecentos annos, nullus, qui in ea moritur, sit damnandus. Legit hæc & venerabatur, sed eadem vitæ sanctitat confirmatum ibat.

11. Ingens utilitas, qua toti orbi,
pro-

proque omnibus Ordinibus, & Statibus
 subjecta & instrumenta præclara per
 doctores scholarum erudit. Certè an-
 te scholas à Societate apertas Religiosi
 valdè pauci erant in multis claustris,
 quæ nunc præstantibus viris abun-
 dant, quorum plerique in Societatis di-
 sciplina eruditi vocationem Religiosam
 obtinuerunt.

Considerationes, ob quas B. Aloy-
 sio Parens ingressum in Societatem
 JESU dissuasit.

1. **H**ortabatur filium Parens, ut si fi-
 xum animo esset Religionem in-
 gredi, talem eligeret, in qua constanter
 viveret, ac moreretur. In Societate
 portam dimissioni semper patere aper-
 tam, nec paucos esse, qui Societatem
 post plures etiam annos deserant. Quæ
 hinc familiæ confusio?
2. Ex aliis ordinibus patere viam ad
 Cardinalatum & Episcopatum, hos
 proinde pro familiæ honore præferat,
 non difficile futurum, ut ad primas in-
 fulas perveniat.
3. Religionem suadebat ut ingrede-
 retur, non ita passim exosam plurimis,
 nec solùm hæreticis, sed & aliis.
4. Con-

4. Considerare jubebat, quantam secum molestiam ferant illa intensa studia, quæ passim in Societate usurpantur; quam dura sit puerorum in Scholis doctio? per quæ Spiritus facile dissipatur, & devotio impeditur.

5. Societas est aliis ordinibus recentior, & mollior, nec vivit mendicatò, nec nudipes incedit, nec chorum, nec extraordinaria jejunia vel mortificationes habet vi Regulæ, consequenter minor ibidem est occasio meriti obtinendi.

6. Longa in Societate Probatio, Novitiatus biennium, diversitas graduum; cum non omnes fiant Professi, & alia multa respectu aliorum Ordinum exotica credebat pater, quòd Aloysium deterrere debuissent à petendo ad Societatem ingressu. Ex hac enim Societatis ab aliis Religiosis Ordinibus difformitate varii aliorum Religiosorum, etiam in opinione virtutis & doctrinæ existentium de Societate sensus causantur, nec omnes exotica ista probant.

Responso B. Aloysii.

AD I. Nemo ex Societate dimittitur ob virtutem; tam sapiens Religio
non

non abjicit gemmas, sed noxium sanguinem emittit. Ex cœlo Angeli, ex Apostolatu Judas dimissus est, nec ideo vel cœlum refugiendum est, vel Christi sequela Hortus pulchrior unde lolia extirpantur, mundior & sanior habitatio, unde sordes effluunt; Cum mali dimittantur, certus sum me futurum inter optimos. Nemo nisi ob gravissimas causas dimittitur.

Ad 2. Si honores vellet, tum se in sæculo mansurum. Sanctior in Societate humilitas, & ideo floret, quia quod malum est, per dimissionem perdit, quod bonum est, cavet per dignitates amittere. Una porta semper aperta, semper clausa est altera.

Ad 3. A malis vituperari laudabile. Qui Societatem persequuntur vel hæretici sunt, vel invidi, vel ignorantes, vel mali. Quò plus patietur, eò amplius florebit.

Ad 4. Ad studia se natum ajebat factumque. His otium impediri, excoli mundum, confundi hæresim, nec impediri pietatem; cum studia hac intentione suscepta omni choro & oratione meliora, Deoque gratiora sint.

Ad 5. Nova sæpe meliora sunt veteribus,

ribus. Quis Ordo DEO charior, & mundoutilior? se dicebat attendere. Mortificatio interior est exteriore melior; quanquam nec à mortificatione sit desumenda Ordinis perfectio, sed à Charitate in DEUM & proximum; quæ ipsa plurimas secum fert mortificationes.

Ad 6 S. Ignatium dicebat legisse omnium Ordinum Regulas, & iis visis, quod optimum iudicabat, selegisse; esse omnia tum à Pontificibus, tum à Concilio Tridentino laudata.

Quæ Religio præeligenda.

1. **M**ulti facile se determinant ad statum Religiosum, in hoc solum dubii, quam eligere tutò debeant. Pro quo lumine ulterius DEI voluntas precibus & piis operibus exquirenda.

2. Cæteris paribus eligenda est Religio, quæ est perfectior, nam in omnibus quod optimum censemus, eligimus.

3. Perfectio Religionis non est in majori externo rigore, S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 6. ait: perfectissimam esse mixtam, quæ activam vitam jungit contemplativæ.

4. Non eligenda, quæ in se sit perfectissima, sed quæ deliberantis naturæ, talentis, qualitatibus est optima, in qua
talen-

talenta naturæ, & dona gratiæ utilius impendi possunt.

5. Vide, quæ Religio sit DEO gratior? ubi possint fieri plura bona? ubi occasio actionum heroicarum, & laborum insignium pro gloria DEI præstandorum? quæ vitæ Christi conformior?

6. Non attendendum, ubi fit victus lautior, splendidior amictus, major vivendi commoditas. Nam si bonus Religiosus esse vis, hæc in postremis habebis; nec majores commoditates appetes, quàm fortè in sæculo habuisses.

7. Nec ideò amplectenda Religio, quod eam Parentes, aut Cognati suadeant, nisi idem etiam DEUS suadeat? qui propter hominem quemcunque intrat Religionem, graviter errat, & ab homine, non à DEO præmium expectet.

8. Ingredi velle Religionem spe promotionis securæ, vel appetitu majoris libertatis, vanitas est. Ingredi, ut sine tua cura vivas, est panem, non Christum, quærere.

9. Vide, in qua Religione sit major votorum Religiosorum observantia. Paupertas ibi est major, ubi magis abest proprietas, & usus pecuniæ in privato Religioso. Castitas floret, ubi absunt

comessationes, otium, liberior cum externis sine teste conversatio. Viget magis obedientia, ubi desunt exemptiones privilegia, &c.

10. Attende, ubi major compositio, & modestia, & morum gravitas? ubi major superiorum vigilantia? vel ubi boni magni fiant; & mali contemnantur, aut etiam repellantur? ubi pauciora scandala & mala exempla?

11. Ubi magis exulet ambitio, quæ maximorum dissidiorum est mater?

12. Ubi vigeat major unio & concordia? *Ubi enim pax, ibi DEUS.* Non quæcunque autem pax, sed in dilectione DEI fundata, alias Nahum. I. *Sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.*

13. Ordinis antiquitas, vel novitas ad ejusdem sanctitatem parum faciunt. Observa quomodo nunc quævis ferveat in observatione Regulari?

14. In qua Religione sperare possis majorem à Confratribus tuis charitatem, plura pro animæ tuæ refrigerio facta, vel preces?

15. Eademum appetenda, in quam sperare possis admissionem; nec tamen

K

esto

esto pusillanimis. Si DEUS dedit velle, dabit & perficere. Tenta, te insinua.

16. Illud etiam attendere poterit? quæ Religio inter homines magis æstimetur? quæ universaliter toti mundo utilior? ubi tu secundum tuorum talentorum mensuram plus boni te futurum sperare possis; adeoque plura apud DEUM pro æternitate merita colligere valeas? hanc crede tibi à DEO præ reliquis esse destinatam.

17. Dum has considerationes facis, illud præprimis attende, ne vel à notitia vel affectu Religiosorum te duci finas, sed rationes bene pondera, quid tibi expediat?

An consultum fit suadere alicui Religionem?

1. **S**unt Religiones, quæ priusquam penitentem admittant, ex eo quærunt, an ab aliquo sit persuasus? & si affirmativè respondeat, ejus admissionem differunt, ut rem magis examinet, ac cum DEO conferat.

2. Si locutio hominis, solùm sit instrumentum, quo DEUS utitur ad aliquem vocandum ad Religionem, tum vocatio est à DEO, & secure potest dari
ex.

executioni, sic Andreas Petrum adduxit ad Christum. S. Bernardus triginta aliis Religionem persuasit, & à Christo dictum est Apostolis: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4.

3. Christus vocans Saulum ad Apostolatam, misit eum ad Ananiam: *Ille tibi dicet, quid te oporteat facere.* Act. 9.

5. Homines nempe DEUS regit & instruit per homines.

4. Licet *Fides sit donum ac lumen DEI*, tamen est *Fides ex auditu.* Rom. 10. Primam nempe scintillam seu fidei, seu vocationis injicit & accendit DEUS, quæ deinde voce hominis, quasi flabello animatur in flammam luculentam.

5. Si homo non proponat suam auctoritatem, non affectum, non munera; sed verbum DEI, sed motiva supernaturalia, tunc eum securè non solum audire, verum & sequi potes; *talia verba quinque præstabunt decem millibus.* 1. Cor. 17. quanquam

6. S. Thomas etiam munusculis attractum putet veram habere vocationem, eò quòd etiam is, qui naturalibus motivis impulsus Religionem intrat, deinde accedenti solidiori instru-

Etione mutare soleat motivum, & veram vocationem obtinere.

An liceat impedire aliquem à Religione?

1. **Q**uisque post annum decimum quartum ætatis habet jus ingrediendi Religionem, si velit; à quo jure qui illum vi, vel fraude impedit, graviter peccat, quia facit illi in re gravi injuriam.

2. Si quis alterum impediret ab officio obtinendo à matrimonio, ab alimentatione totius vitæ, graviter delinqueret: quantò magis ille, qui à majori longè bono, nempe Religione impedit.

3. Non solum vi, aut fraude, minis, verberibus, &c. impedire ab ingressu Religionis, peccatum est; sed etiam metu reverentiali, importunis precibus, & lachrymis parentum; licet enim talis mentus & moralis coactio in foro externo non videatur cadere in virum constantem; in foro conscientiaè tamen tollere judicatur libertatem, adeoque per talem gravis fit injuria illi, qui his impeditur ab eo bono, ad quod jus habet.

4. Qui dissuadet alteri Religionem,
in

in qua is salvatus fuisset, si deinde pe-
reat, quod facile fieri potest, quid
aget, ubi DEUS animam hujus ex ejus
manibus repetiturus est? quomodo ta-
lis anima damnata maledicet æternum
tali seductori.

5. Si quem ad DEI obsequium pro-
perantem quis impediatur, non illi solum,
sed & DEO injuriam facit, dum DEI
consilium suo pervertit; animam ad
Christi castra vocatam, sub diaboli ve-
xillo detinet. *Retrabere à Religione est Cbri-
stum in alterius pectore occidere.* S. Hier. ep.
ad Helio.

6. Si Rex ad aula invitaret aliquem,
nefas duceres impedire, & quid Regi Re-
gum respondebis, si quem ab ejus obse-
quio avoces?

Axiomata bonæ Deliberationis.

1. **I**N deliberatione sequi potius oportet rationem, quàm sensum; ideo DEUS homini rationem dedit, & per hanc ab animalibus distinxit, ut eam sequeretur. Sensum sequi brutorum est.

2. Ex duobus bonis, id quod majus bonum est, eligendum; intellige quod majus bonum est verè, non tantùm apparenter, præterea quod est majus

bonum, non solum tuo, sed aliorum prudentum iudicio.

3. E duobis malis, minus eligendum. Quod autem sit minus, dependere debet à prudenti iudicio.

4. In concursu plurium bonorum, aut malorum non attendendum solummodò aut maiorem numerum, sed potius ad pondus, cum unum bonum pluribus bonis prævalere possit.

5. Bona æterna bonis temporalibus, & mala temporalia malis æternis præeligenda sunt. Ideo bona omnia temporalia negligenda sunt, ut malum æternum caveatur.

6. Bona certa bonis incertis; mala certa malis incertis præferenda, juxta S. Aug. tene certum, dimitte incertum.

7. Bona in re, prævalent bonis in spe, id est præsentia futuris. Hoc intellige de temporalibus; nam bona æterna futura prævalent præsentibus temporalibus.

8. Nullus status in creatis inveniri potest, in quo non multa occurrant incommoda; Ille proinde eligendus, qui plura commoda, & pauciora habuerit incommoda.

9. Non semper est major virtus, ubi major est arduitas, si hæc se teneat ex parte operantis.

10.

10. Corporis mortificatio non est melior animi mortificatione. Paupertas non est semper perfectior, quæ est in se major, sed quæ fini Religionis est magis proportionata.

11. Etiam in statu imperfectiori perfectius vivet is, cui propter impedimentum naturæ in sua potestate non sitæ deest aliquid, quod exigitur ad statum in se perfectiorem. Sic debilior corpore perfectius vivet in Religione, quoad externas mortificationes minus austeras.

12. Si DEUS alicui negavit id, quod hic aut ille status postulat, certus sit, quod illum non destinet ad hunc statum.

13. Bonus Spiritus se bonis insinuat placidè sicut gutta in spongiam, & inducit animi hilaritatem, & movet ad devotionem.

14. Spiritus bonus malis se insinuat implacidè, sicut imber cadens in petram, & conscientiam pungit, terret.

15. Malus spiritus bonos invadit implacidè, cum perturbatione, malus vero placidè; & his objicit delectationes sensuales.

16. Quando consolatio venit nullâ præcedente causâ sensibili, est signum Creatoris absque ullis mediis in creatura rationabili operantis.

17. In

17. In motibus internis, quorum causas & originem ignoras, attende finem ad quem inclinant, si hic bonus est? indubiè motus ille oritur à bono Spiritu; si finis vel malus est, vel majoris boni præpeditivus, originem ducit à malo spiritu.

18. In desolatione, dum nempe anxietatem, pusillanimitatem, & intellectus obscuritatem, & animi torporem sentis, nihil est determinandum, aut mutandum, sed expectandum, donec menti serenitas redeat. In his quippe tenebris operatur Princeps tenebrarum; piscatur in turbido; & hoc tempore maximè operatur in suos fines, & perniciem nostram. Nullibi faciliùs impingimus; quàm in tenebris; filii lucis serenitate, & mentis placiditate delectantur.

Signa Vocationis Divinæ.

I. **P**robate Spiritus, si ex DEO sunt. 1. Joan. 2. Nec enim omni instinctui credendum, neque cuncta desideria, quæ bona esse censentur, sunt opere exequenda, cum sæpe dæmon se possit in Angelum lucis transfigurare.

2. Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur affectus ad aliquem statum, idque maximè sub oratione, & pietatis exer-

exercitiis, absque eo, quòd ille status ab ullo sit persuasus.

3. Si quis ita constitutus sit, ut nisi crederetur hic instinctus esse à DEO, promississimus foret, ei nullo modo obtemperare.

4. Si quoties recordatur hujus instinctus, toties sentiat se impelli ad bonum, & desideria Christum humilem, pauperem sequendi, eaque omnia præstandi, quæ ad animæ salutem, & DEI gloriam spectant.

5. Si talis instinctus veniat cum animi pace, & lætitiâ, & in longiori ejus cogitatione gustum & consolationem sentiat; è contra dum ab eo se avertit, & mentem aliò applicat, sentiat animo suo non satisfieri.

6. Si sentiat sibi in animo quasi promitti vires ad perferendum omnia onera & incommoda illius status, addique spem ad vincendas impugnationes tum dæmonum, tum aliunde occurrentes.

7. Si rationes sibi objectas facile solvere possit, nec aliorum dissuasiones multum curet; nec moveatur in oppositum aliorum exemplis, quidcunque illi agant, aut eligant.

8. Si desideria ad hunc statum occur-

rant & se insinuent, absque eo, quod quis studio se ad illum reflectat, maximè si id contingat in casu aliquo subitaneo.

9. Inclination hęc ad aliquem statum non necessariò debet esse valde vehemens, sed sufficit, ut sit talis, ut adverti possit. Errant proinde, qui non credunt se vocari, nisi quasi ardeant præ desiderio alicujus status: aut nisi continuò, diu noctuque se impelli, ac quasi per capillos ad eum se trahi sentiant, quod licet aliquando faciat DEUS, plerumque tamen non facit. Tonabat quidem vehementius, dum Saulum ad se vocavit, Apostolos tamen in sibilo aurę tenuis per modum transeuntis vocavit, & uterque modus erat vox DEI.

10. Præter hanc affectionem ad aliquem statum, solet DEUS vocare per illustrationem intellectus, qua quis per pensis rationibus agnoscit, quis status pro sua salute, aliisque circumstantiis sit melior.

11. Si & affectio interna trahat, & intellectus statum suadeat, non est, ut quis dubitet.

12. Si ratio suadeat statum aliquem, & voluntas quasi reluctetur, absque ulla positiva ratione, sed solùm ex aliquo me-

me-

emetu, vel naturali irresolutione, præ reliquis est certius indicium veræ vocationis; nam signum est, quòd inter se pugnet bonus & malus spiritus; bono adhærere etiam cum renitentia proprii appetitus est majoris meriti. Talis vocatio est constantior; affectus enim facile mutatur, ratio semper manet. Dum Christus se juxta Patris æterni vocationem, & voluntatem vellet inchoandæ passioni accingere, *cæpit, scriptura teste, pavere, tædere, & mœstus esse; nihilominus tamen ab executione voluntatis divinæ non recessit, sed se ad eam adimplendam animavit, dicens: Surgite, eamus, Ita decet eum agere, qui ratione convincitur, quæ sit voluntas DEI, licet natura, & sensualitas ab ejus executione horrorem, & renitentiam ostendat. Vetus hæc & optimè nota omnibus Ascetis pugna est, in qua caro concupiscit ad versus spiritum, & spiritus ad versus carnem. Gal. 5.*

Signa veræ Vocationis ad determinatam Religionem.

I. **P**ROPOSITUM de ingressu Religionis non indigere probatione, utrùm sit à DEO? docet *S. Thom. 2. 2. quest. ult.*

ult. art. ult. ad I. intelligo, quando finis primarius est ex motivo supernaturali, nam ad nihil salutare nos moveri sine gratia DEI, docet fides. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan. 6.

2. Caro & sanguis non revelat ea, quæ spiritus sunt, non appetit mortificationes, solitudinem, paupertatem.

3. Dæmon non vocat ad Religionem, quia non suadet humilitatem, honorum contemptum; aliunde quasi leo rugiens circuit quærens, quem devoret, non quomodo salvet.

4. Licet dæmon possit se in Angelum lucis transfigurare, non tamen facile credendum est, quod suggerat Religionem, ut in ruinam præcipitet; quod ipsum facile colligi potest.

5. Si finis eligendi Religionem sit malus, sicut dum Basilus magnus petebat Religionem ingredi, ut sub habitu Monachi artes magicas facilius posset occultare, certum est hanc vocationem esse à dæmone.

6. Si quis appetat statum Religiosum mollem, minus perfectum, ubi major libertas, vita commodior; cum tamen ille ob satisfactionem pro peccatis, vel ha-

ha-

habituum pravorum emendationem indigeret severiori, ubi major corporis castigatio fit, & plures abstinentiæ; hic dæmon suaderet bonum fictum.

7. Si quis immoderato fervore actus appetit Religionem duram, quam ex complexionis aut educationis teneritudine ferre non possit, labor est dæmonis, volentis hominem deducere ad desperationem.

8. Si quis aspiret optima mente ad Religionem, qui tamen teneretur succurrere Parentibus; non agitur à bono spiritu; nec enim DEUS suadet bonum, ut inde eveniat malum; nec minus bonum, impeditivum majoris.

9. Si quis velit statum aut Monasterium ingredi, quia ibi habet notum, vel Cognatum, vel superiorem sibi faventem, à quo favores & promotionem sperare possit, vocatio non est à DEO, sed carne & sanguine, licet nihil mali intendat.

10. Si finis ingrediendi Religionem est ex causa temporali, v. g. ut consequatur bonum aliquod temporale, vel malum temporale fugiat, solum secundariâ, & per modum occasionis; talis vocatio potest esse à DEO, modò causa motiva principalis sit supernaturalis. II.

11. Si quis ex paupertate acquirat animum ad Religionem, ut non cogatur esse sollicitus de alimentis, & aliis necessariis, tunc hæc vocatio est à DEO, quando primariò in Religione quærit DEO servire, animam salvare; licet non multum deliberasset, si dives fuisset; in hoc enim desiderium sine cura vivendi, solum fuit occasio deliberandi de statu vitæ.

12. Majora & certiora signa requiruntur ad manendum in sæculo, quàm ad ingressum Religionis, cum hoc sit de bono meliori; & apud omnes certum sit statum Religiosum secundùm se esse perfectiorem sæculari, ac tutiorem ad salutem, minimùm de toto genere loquendo; licet in particulari alicui in individuo, ob speciales rationes possit status sæcularis esse magis aptus ad salutem.

13. Si quis moveatur ad Religionem, antequam ullum in ea noscat, vel cum ullo agat, signum est operantis Spiritus Sancti, adedque tutò hunc sequi potest.

Quomodo determinatio status fit faciendâ?

1. **S**emper hærere in dubio, nec ullum
deliberationi finem ponere, gravis
est

est error. Si metum sequeris ex eo, quod fortè posses errare, nunquam quidquam eliges, quia semper manebis homo. Satis prudenter determinas, quod DEO consulto, rationibus suadentibus, approbante viro sapiente & pio concludis.

2. Die, quo deliberationem concludere statuisti, solito devotius comunica; ferventius ora; fac plura bona opera; cura legi, vel audi Missam pro animabus in purgatorio; Beatam Virginem, Angelum Custodem, & alias Patronos invoca.

3. Peractè communionem domum redi, separate ab omnibus aliis hominibus, & negotiis.

4. Imaginare, ac si nihil in orbe existeret præter DEUM, & te; & unicumque tuum negotium esse, animam tuam salvare.

5. Quære ex te, qui tibi expediat? status sæcularis? an Ecclesiasticus? an Religiosus?

6. Habe chartas præparatas, in quibus pro singulis statibus rationes pro, vel contra, notare possis.

7. In consilium voca DEUM, quid ille verbo, exemplo, instincti tibi suadeat? Secundò, quid fini, ad quem crea-

crea-

creatus es, & quem unicè intendis, assequendo utilius? Tertio, quo in statu vixisse optares in morte? Quarto, in quo statu facilius de talentis DEORationem reddere possis? Quinto, quid tu alteri, quem valde amas, in hac re suaderes? Sexto, quid tuæ naturæ, viribus, & talentis accommodatum magis?

8. Rationes, quæ te ad hunc vel illum vitæ statum moveant? debent esse supernaturales, æternæ; licet etiam humanæ prudentiæ conformes admitti possit. Tu singulas in chartam conjice, ut eas directori tuo proponere possis.

9. Non statim uno commodo alicujus status viso, illi adhærendum, sicut nec ob unum incommodum ab illo recedendum; sed omnibus simul collectis, videndum, quid magis expediat pro æternitate beata? Cùm in omni statu sint aliqua commoda, & aliqua incommoda, vix fiet deliberatio, in qua una pars ita certò & clarè eligenda proponatur, quin aliquid in contrarium occurrat. Eò prudenter inclinatur deliberans, quò potiores causa vocant.

10. His ita consideratis & conscriptis, facile advertes, quò te internus affectus inclinet, quò inclinent rationes, & ad id

id te coram DEO resolve, ex suppositione, quod animæ tuæ director probaturus sit, cum quo quamprimum tuam mentem & rationes confer.

11. Si determinare te non posses, non suaderem, ut rem sorti committas, v. g. ut diversos status diversis chartis inscribendo, quem sorte traheres, ad illum te resolveres, sed potius pro determinatione pleniori posses facere S. Ignatii exercitia per aliquot dies.

12. Si rationes satis clarè te invitent ad aliquem statum, à quo tamen affectus abhorret, non debes impediri in determinatione, præstat enim rationem, quàm cœcum affectum sequi.

13. Dum sic deliberas, cum DEO, Sanctis, animæ tuæ arbitro: cum aliis pauca hac de re agas; multi enim consiliaris plus obsunt, quàm profint; faciliùs te perplexum reddent, quàm tibi dubium eximant; maximè cum vocatio vera magis à DEO pendeat, quàm à prudentia humana; consequenter satis erit cum illo agere, quem tibi DEUS sui locò destinavit, nempe cum Confessario. Quanquam deliberatione actâ non vetem mentem tuam etiam illi, ad quos ea res pertinet, aperire.

L

Mo

Monita post factam electionem
ad Religionem.

1. **D**E O pro hac gratia (quâ post Creationem, & Redemptionem vix major esse potest) grates agat; quod fieri potest in communione: simulque roget, ut hanc sanctam in eo cogitationem conservet, & ad eam perficiendam, & amolienda omnia impedimenta vires tribuat.

2. Post DEUM maxime Sanctissimæ Matri tuæ vocationis executionem commenda: ut quæ est Salutis Mater, sit etiam viæ ad tuam salutem Manductrix. Hæc Religionum omnium Mater est.

3. Proderit etiam aliquem Sanctorum in Patronum vocationis eligere, cui negotium hoc frequentius, ferventiusque commendetur. Patronus hic ex illo Ordine esse poterit, quem quis elegit.

4. Vocationis adimplendæ magnum ac frequens in se desiderium excitet, firmumque propositum faciat: nulla tentatione carnis, mundi, aut hominum ab ea recedendi.

5. Media huic fini oportuna adhibenda, quæ plerumque sunt duplicia.
1. *Pietas*, quæ consistit in Sacramentorum

torum

torum frequentia, in extrinseca, præter intrinsecam, devotione, in bono exemplo condiscipulis dando, &c. 2. Studium diligens & accuratum.

6. Vocationem suam non multum jactare, nec aliis, quorum non interest, manifestare, præstat.

7. Si quos ejusdem esse vocationis adverterit, poterit cum iis frequentius agere. Cum piis tamen & paucis, talibusque, è quorum conservatione sit spes profectus in vita sancta, per conversationem ab omni levitate & peccato etiam lævi alienam, per colloquia, de mundi vanitate, præstantia virtutis, Religiosi status felicitate de periculis in sæculo; tales enim sermones decent eos, qui habent vocationem ad Religionem.

8. Si quæ difficultates contra vocationem suboriantur, ut primum incidunt, aut ab aliis audiuntur, statim aperiendæ sunt Patri spirituali.

9. Cavendus est omnis excessus, nec hospitia adeunda, nec convivia, nuptiæ, comotationes, aut aliæ, ut vocantur, Societas frequentandæ. Vitandæ pariter rixæ & contentiones, &c.

10. Conetur, se accommodare sensim

ad modum vivendi electi status, inquirat de ejus consuetudinibus, praxibus Pietatis, mortificationibus, &c. & imitari conetur.

11. Non oberit, si motiva scriptò sibi annotet, quibus ad hunc statum eligendum est inductus, quæ in tentatione, vel aliqua desolatione relegere poterit, ut se confirmet.

12. Petat etiam à Confessario informari de difficultatibus, quæ in Ordine electo occurrere possent, item quæ sit votorum obligatio, ut ad hæc se præparare possit.

13. Denique sæpius consideret illud Christi: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI; Sicut enim vocatio est signum prædestinationis, ita à vocatione resilire signum est reprobationis.

14. Votum tamen non facilè faciat, maximè si vocationis fundamentum sit affectus vehemens ad aliquem statum, posset enim contingere, ut affectu immutato voti poeniteat, maximè cum votum Religionis non facilè possit commutari vel dispensari etiam in Jubilæis. Si tamen vocatio sit fundata in rationibus valde convincentibus, & adessent mul-

mul-

multæ in oppositum tentationes, posset talis accedente Confessarii assensu votum emittere. Sed hoc in raro casu.

15. Ad multa difficilia in Religione se præparet. Errant: qui aureos sibi montes promittunt; ubique invenientur difficultates.

An possit quis vocationem non sequi?

1. **D**octrina est Doctorem, quod vocationem non sequi, non sit peccatum simpliciter; eò quod vocatio non sit præceptum, sed consilium: *Si vis perfectus esse.* Matth. 19. Si tamen quis agnoscat, vocationem hanc esse in remedium suæ fragilitatis ad salutem, & conscientia dicat, magnum in sæculo salutis esse discrimen, talis sub peccato obligatur ad vocationem implendam. Nam juxta S. Gregorium aliqui sunt, qui nisi omnia relinquunt, salvari apud DEUM nullatenus possunt.

2. Si autem ne sciat, an in remedium necessarium salutis, an tantum ad augmentum præmii DEUS vocet, tunc timeat, ne, si vocationi dissentiat, illud audiat, Psalm. 118. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Nam

L 3

3. Qui

3. Qui consilium vocationis non sequuntur, plerumque non salvantur. Prævidit enim DEUS, te in his v. g. circumstantiis peccaturum, ideo te vocavit: quia vero vocanti non respondes, peccabis, & peribis.

4. Ille juvenis Evangelicus erat innocens, cum ipse fassus sit, se omnia mandata à juventute servasse, ob quod à Christo dilectus est. Dein tamen periit damnatus, nempe: quia DEUM vocantem non secutus, in peccata incidit.

5. Idem DEUS minatur omnibus vocationem respicientibus Prov. I. *Vocavi te, & renuisti; ego quoque in interitu tuo ridebo.*

6. Qui gratiam vocantem DEI negligit, meretur, ut alias gratias ei DEUS subtrahat, unde fit, ut talis æternum pereat. Si te Rex ad suum obsequium vocaret, tuque sine justa causa ob tuam majorem commoditatem non ires, putasne, quod Rex magnam impofterum tui curam haberet.

7. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno DEI.* Ut vocationem sequi signum est prædestinationis ad cœlum, ita eam negligere signum est reprobationis.

8. Ple.

8. Pleni sunt Religionum Annales
tristibus prorsus exemplis eorum, qui
à DEO ad Religionem vocati, ne hoc
Domini consilium secuti, non modò
spebus suis, ob quas vocationem ex-
cusserunt, exciderint, sed in varias ca-
lamitates, mortem infamen inciderint.
Unum sit pro mille aliis, quod Toleti in
Hispania noblii Adolescenti accidit,
qui cum vocationem, quam ad statum
Religiosum habuit, dissimulasset, eam-
que hilariori vita excutere laborasset,
sensim sine sensu à vita proba & inno-
cente ad sequirem, per malorum so-
ciorum exempla deductus eò venit, ut
breui etiam antesignanum ad vitia age-
ret; non tamen diu: nam febriculâ ad
lectum prostratus eò intra pauculos dies
deductus est, ut mors præ foribus esse
nuntiaretur: proinde tam medicus,
quam circumfusi ad lectum amici eum
ad confessionem hortati sunt, sed fru-
stra; vocatur Confessarius, sed nec hic
eum ad eluenda exomologesi peccata
disponere potuit; ad DEUM proinde
orationes pro illo fundere cum dome-
sticis statuit, & dum Coram Crucifixi
effigie pro illo Psalmum *De Profundis*
oraret, ad illa verba: *Fiant aures tuæ*

intendentes &c. Crucifixi effigies, resolutis de Cruce brachiis obturavit aures, & tremendam hanc vocem emisit: *quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo, & sub his verbis infelicem animam infelix juvenis cum vita amisit.* Quis dubitet, quin Juvenis hic vitam meliori sine terminasset, si DEI vocationem secutus, se Religioso statui mancipasset. Heu! quam periculoso calle gradiuntur illi, qui seriem divinæ Providentiæ ad suæ voluntatis arbitrium detorquere nituntur!

Executio vocationis an differenda?

1. **Q**ui sponte sua differunt vocationis executionem, plerumque perdunt: nec rarò fiunt deterrimi. Hæc DEI poena est. Juvenis Evangelicus qui ob Patris sepulturam Christum sequi distulit, vocationem perdidit, & ut SS. PP. dicunt, periit. Si aliquando, cur non modò: si non modò, fortè nunquam!

2. Certò sibi persuadeat, quidquid temporis in vocationis executione sponte sua quis interponit, tam diu maximis omninò damnis se esse expositum:

tum : differre enim est , non velle :
 idè Chrysoſtomus : torporis initium
 eſt hæc dilatio , eſt ultimum dæmonis
 diverticulum , ut procrastinatione ſen-
 ſim fervor intepescat , ſicque diabolus
 faciliùs eum plenè ab hac mente re-
 tineat.

3. Quis vult Conciliis , & omnibus
 Doctõribus eſſe ſapientior ? qui omnes
 docent poſſe quemvis decimo quinto
 ætatis anno elapſo , etiam invitis Paren-
 tibus , Religionem ingredi. Certè Scrip-
 tura teſte : *Bonum eſt viro , cum portave-
 rit jugum ab adoleſcentia ſua.* Thr. 5.

4. Nec dicas : Juvenes non cogno-
 ſcunt ſuas vires , nec intelligunt , quid
 ipsis conducibilius ſit , nec ſcire poſſunt ,
 an vocatio ſit à DEO &c Qui enim
 hodie nescit , quomodo poſt annum re-
 ſciet , ubi erit pejor , & gratia DEI in-
 dignior ? *Non eſt , crede mihi , ſapientis di-
 cere : vivam ; ſera nimis vita eſt craſtina ,
 vive hodie.*

5. Ætas quò minor , eò aptior eſt in-
 ſtructioni ; ſicuti etiam in omnibus ar-
 tibus citò juvenus applicatur , ut eas
 tantò perfectius aſſequatur : parvæ ar-
 bulculæ debent in hortum transferri , ut

fructum ferant, in grandioribus periculum est, ne translatae exarescant.

6. Si juvenes diutiùs manent in saeculo, cum ceræ mollis instar omnem figuram, recipiant; facile malis consuetudinibus assuefiunt. Ætas illa ab Anno 15. ætatis, usque ad 18. & ab hoc usque ad 25. summis exposita est periculis. Denique navis quamdiu extra portum est, in naufragii periculo est.

7. S. Anselmus ait: qui Juvenis ingrediuntur, sunt similes Angelis nunquam lapsis, qui nesciunt, quid sit corruptela, ita Religioni assuefiunt, ut vix ullam difficultatem experiantur. Spiritualia facile imbibunt, quia phantasia necdum turpibus est infecta speciebus, & quia ignoti nulla cupido, tales certi sunt de innocentia tumulo inferendâ.

8. Ita à Christo vocatorum exempla docent. *Levi* sedens ad telonium, *surgens* relictis omnibus secutus est eum. *Luc. 5.* Petrus & Andreas *continuo* relictis retibus. Jacobus & Joannes *statim* relictis retibus & Patre. *Matth. 4.* Cæcus, projecto vestimento suo, *exiliens* venit ad eum vocantem. *Marc. 6.*

9. Nec ætas te excuset, si decimum quintum ætatis annum explevisti. S.
Fran;

Franciscus à Paula 13. S. Thomas 14.
S. Benedictus 12. annorum Religionem
ingressi sunt. Ille, quem *Matth.* 19. Chri-
stus vocavit, Adolescentulus erat. Fe-
licissimus, qui in prima innocentia Re-
ligionem ingreditur ! talis offert DEO
sacrificium absque macula.

10. Gratius DEO donum est, si id
quod offertur, sit purum adhuc & in-
nocens, ideo dicit : *Scrivite parvulos ve-
nire ad me.* Marc. 10. Crederesne eum
esse humanum, qui te donare vellet flo-
re marcido, fructu putrido, carne ranci-
dâ ? nec tu te DEO offerre debes, in-
tegritate jam deflorata, mente infectâ.
Fructus præcoces gratiores : qui citò
dat, bis dat.

11. Nescit tarda molimina Spiritus
Sancti gratia. S. Ambr.

An Parentibus à vocatione revo-
cantibus obediendum ?

1. **P**ostquam dæmon desperat tenta-
tionibus candidatum vincere, Pa-
rentes, Cognatos, &c. pro instrumento
adhibet, ut his voluntatem invertat.
Certum proinde habe, quidquid delibe-
rationem ritè factam impedit, id omne
à dæmone instigari,

2. Na

2. Natura indidit affectum tenerum erga Parentes ; sed præceptum DEI jubet majorem exhiberi DEO. *Qui amat Patrem & Matrem plus quam me, non est me dignus. Matth. 10.*

3. Quid alii dicant, aut agant, illi viderint ; tu curam tuæ salutis habes ; nemo pro te Judici respondebit, si vocationem ejus negligas ; tui loco nullus infernum intrabit ; tu, non alius, ob neglectam inspirationem punieris, quia cognovisti voluntatem Domini tui, & non fecisti. *Luc. 12.*

4. Sed Mater flet iniquies Respondet Climacus : Melius est contristari Parentes, quam contristari Dominum JESUM ; hic nos creavit & salvavit, illi sæpe suos amando perdiderunt. Fleant illi, modò gaudeant Angeli, fleant illi potius nunc, quam ut tu fleas æternum. Veni separare hominem adversus Patrem suum. *Matth. 10.*

5. Sed Præceptum DEI Parentibus jubet obedire. Ita, si nihil contra DEI voluntatem jubeant. Rectè Bernardus : Sola causa nonobediendi Parentibus, DEUS est. Si in infirmitate plus medico, quam Patri obedis, cur non etiam in vocatione DEO potius, quam Parenti

renti

rendi obediendum? *Si quis venit ad me,
& non odit Patrem suum, non est me dignus.*
Matth. 8.

6. Certa apud omnes doctrina est: filium post 15. ætatis annos, etiam quomodocunque invitis Parentibus, ingredi posse Religionem; & qui talem impedit, ei facit injuriam. Nisi extremæ Parentis necessitati filium succurrere jubeat præceptum.

7. Christus ipse dolentibus Parentibus, & insciis, in templo remansit; cur ad DEUM vocatus, etiam invitis Parentibus, si aliter non possit, ire renuat? fecere SS. Benedictus, Calybita, Thomas, Stanislaus, & sexcenti alii. Quanquam optandum sit, ut bona Parentum venia & cum eorum benedictione filius descadat.

8. Sufficiat dictum S. Hieronymi Ep. I. Licet parvulus è collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutriebat, mater ostendat; licet in limine Pater jaceat; per calcatam perge Matrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solùm pietatis genus est, in hac re esse crudelem.

9. Site Parentes impedire velint, tu eorum iram & affectus moderatè feras; ratio-

rationes oppone objectionibus, calumnias cum demissione excipe; aliorum intercessione conare eos flectere. Optimum hic medium fervor est, & constantia; hac enim vis à facillimè flectuntur parentes, imò sæpe ideo repugnant, ut fervorem tuum experiantur, & videant, an veram vocationem habeas? quòd tu facillè ostendes, rerum temporalium, gaudiorum, epularum, pecuniæ, quam offerunt, contemptu.

10. Parata habe, quæ objectionibus reponas, si v. g. dicat Pater: durum sibi esse filio privari. DEUS dedit Filium Unigenitum pro nobis, & quidem ad mortem tam acerbam. 2. Si imperator filium vocaret ad suum obsequium, nunquid eo parens privari vellet, cur in DEUM sit minus humanus? 3. Filius magis est DEI, quàm Parentis? quid si filius globo, aut alio casu moreretur? Quid si DEUS & Patrem & Filium puniat?

Tentationes contrà vocationem ad Religionem.

Timeo, quod non perseverabo.

1. **V**ANUS iste timor est, nunquam à DEO separaberis per regressum, nisi

nisi tu ipse volueris; DEUS nullum deserit, nisi à quo prius deseritur; quid times id, quod in tua est potestate?

2. Si multi non perseverarunt, certè longe & incomparabiliter plures perseverarunt, cur timeam potius paucorum, quàm plurium amplectar exemplum.

3. Qui dedit velle, dabit & perficere. DEUS non est author operis imperfecti. Facienti, quod est in se, DEUS non denegabit gratiam.

4. Potuerunt hi & hæ, qui te fuerunt minùs apti, quique minus deliberarunt, nec tam claris indiciis à DEO vocati fuerunt, cur tu non possis?

5. Licèt alicui mercatura non bene cesserit, licèt in officio aliquis damnum passus fuerit, nemo prudens officium negligit, aut ad mercaturam vocatus eam horret. Cur tu Religionem, quæ paucis non bene cessit, adire timeas?

6. Pusillanimitas, imò imprudens ille metus est, qui nullam certam causam habet, sed solùm innititur fortuito eventui, qui fortè accidere possit. Hic metus si deberet aliquem ab operando retardare, nihil unquam ageremus, quia cuilibet rei fortè potest aliquod periculum

lum

lum subesse. Nullum deberemus statum amplecti, quia nullus est status, qui non aliquibus malè cesserit.

7. Dic proinde: In te Domine speravi, non confundar in æternum. Projice te in sinum Providentiæ DEI. Optimus ille est; nisi sciret tibi expedire hanc vocationem, non illam tibi dedisset. Illius nutum sequere, non errabis. Fiat voluntas tua.

Sufficit mundum affectu relinquere.

1. **U**T in rebus aliis, sic in salutis negotio, si sapias, id, quod securius est, eliges. Esto fluvium transnatare fortè posses, mavis navì trajicere, quia non vis vitam temporalem periculo exponere; & cur velis æternam?

2. Deserere opes affectu, & non revix est possibile; eò ipsò, quòd te resolvere non possis ad eas re deserendas, factis ostendis, quanto in eas affectu ducaris. Idem tibi esto iudicium de honoribus & voluptatibus.

3. DEUS tibi vocationem ingerendo, voluit à te non solum affectu, sed re ipsà mundum, & omnia, quæ in eo sunt, de-

deseri, proinde ad utrumque obligaris ;
unum sine altero non sufficit.

4. Relinquere opes, honores affectu
bonum est, sed nunquid easdem non so-
lum affectu, sed re ipsâ relinquere me-
lius est ? Cur igitur id in te amor DEI
non efficiat ? ut qui propter te non so-
lum affectu, sed re ipsâ cœlum, & in
mundo opes, honores, voluptates de-
seruit. Tu quoque ejus amore ad idem
faciendum te resolves.

5. Qui plus DEO dat, majorem ejus
in se liberalitatem experietur ; plus au-
tem procul dubio ille dat, qui & re, &
affectu omnia dat, quàm qui res ipsas
sibi reservat.

6. Qui putant, se opes v. g. affectu
deserere, cum tamen re ipsâ eas servant,
graviter sæpissimè decipiuntur ; & la-
cito in eas affectu feruntur, quem tar-
dè nimis advertunt. Qui volunt divi-
tes fieri, incidunt in tentationes, & la-
queum diaboli. Nemo satis prudenter
se periculo tali committit, in quo scit,
aut videt multos perivisse. Ita dulce-
do rerum temporalium est quidam vi-
cus, qui adeò tenaciter adhæret, ut
etiam affectum secum trahat. Facilius
est voluptatem ignorare, quàm dese-
rere.

M

Mut-

Multi Religiosi malè vivunt.

1. **N**umquid plures bene vivunt ? cur te paucorum vita deterreat , cum plurimorum exempla invitent. Non adeunda Religio, ut imbecilliorum quis vestigia sequatur , sed ut ferventiorum mores imitetur.

2. Religiosus status laudabilis manet, licet aliqui sint in eo imperfecti. Sic etiam in schola Christi repertus est Judas, hujus tamen ruina non impedivit Saulum, quin ad Apostolatam vocatus, consentiret vocationi.

3. Nullus est in orbe status, in quo DEUS non permittat aliquos labi. Ecclesia DEI sancta est, & tamen multi in ea malè vivunt. Etiam in cœlo inter Angelos DEUS reperit pravitatem, propter quod tamen cœlum intrare non timemus.

4. Si malè aliqui vivunt in Religione, numquid absque comparatione plures malè vivunt in sæculo? qua igitur ratione sæculum Religione præferre poteris?

5. Si qui sunt, qui malè vivunt in Religione, ille de se DEO reddent rationem, non tu de illis. Illi viderint, quid agant

agant : tu, si ad Religionem spiras; sanctiora cape consilia, & charismata æmuleris.

6. Licet aliqui aliquando malè vivant in Religione, huic tamen labem non affricant, quia tales pro mensura delicti graviter castigantur, aut etiam à Religionis corpore, tanquam membra putrida rescinduntur, & abjiciuntur.

7. Qui in Religione malè vivunt, signum est, quòd in sæculo malè vixerint, nec ritè deliberaverint, aut alterius, qui eos dirigere debuisset, consilio non usu, indebitè Religionem ingressi sint. De te autem meliora suppono. Cæterùm, si qui sunt, qui in Religione malè vivunt, indubitatum mihi est, eos in sæculo adhuc pejus victuros, Deumque sæpius offensuros fuisse.

Sum ultimus Familiae.

I. **M**ultos ea tangit familiæ propagandæ cura, ut credant, si quis unicùs sit, in quo spes propagationis sita sit, hunc, etiamsi sentiret, se à DEO ad Religionem vocari, tutò posse, imò debere manere in sæculo. Quod fortè locum in eo casu habere possset, si per defectum familiæ, ut apud Reges

& Principes, timenda forent bella, vel Electoratus, aut Principatus regnans ad hæreticorum protestatem delaberetur.

2. Times? ne tua familia pereat; & cur quæso non times? ne anima tua pereat. Quid tibi proderit etiam sæculis durare familiam tuam, si anima æternum pereat?

3. Si deficiat familia tua, quid inde damni justâ consideratione digni? non propterea interibit mundus.

4. Negligis vocationem, ut familiam tuam propages? & unde tibi hæc certitudo? quid si DEUS hoc tibi beneficium non concedat, ubi tunc familia? quod autem casu evenire potest, an non præstaret DEI causâ fieri?

5. Qui propter familiam, Christi vocationem negligit, satis clarè ostendit se familiam pluris facere, plus amare, quàm DEUM. Et quale hac in re tibi erit in agone judicium? anne familia tua te salvabit?

6. Curas honorem familiæ, & quid si DEI permissione fiat, ut casu aliquo infelici efficiaris opprobrium totius familiæ? numquid desunt exempla? Consule ruinas illustrium.

7. Vis illustrare familiam? esto bonus

nus

nus DEI servus, esto sanctus. Fac, ut locò liberorum, per libros, familiæ tuæ nomen semper maneat. Audi Isa. 56. *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

8. Quid si hac excusatione merearis DEI pœnam, ut brevi, fortè adhuc in juventute moriaris?

ORATIO

Post electionem status factam.

ATerne DEUS, Rex cælestis, Pater omnipotens! cujus potentiâ mundus regitur, sapientia gubernantur omnia, & providentia inscrutabili via, vitæque nostra disponitur! misericordias tuas ego vilissima creatura in æternum cantabo, quòd me undequaque indignissimum illuminare, ac ad statum NN. vocare dignatus sis. Confirma, ô Domine! quod operatus es in me; ac ut in hac sancta vocatione, quàm me à te habere credo, constans perseverem, in adjutorium meum intende, neve me vel aliò fallax caro abripiat, vel versipellis dæmon decipiat, aut ulla tentatio seducat, ad adjuvandum me festina. Qui clementer dedisti velle, da poten-

ter perficere. Ego quidem ad tuam sanctissimam voluntatem exequendam me paratissimum offero, nihilque amplius, aut intimius desidero, quam ut illam quam perfectissimè, quamque celerrimè adimplere valeam; Adjuva, ô Domine! imbecillitatem meam; & eorum omnium, qui hac in re prodesse ac cooperari possunt, voluntates ita dispone, ut assequar, quod intendo; & ut sancta hæc desideria, quæ tu mihi pro animæ meæ salute consequenda misericorditer dare dignatus es, opere ipso impleam, facultatem tribue; qui dedisti velle, da perficere, per Dōminum nostrum, &c.

Ad B. Virginem boni Consilii Matrem post factam electionem.

O Genitrix vitæ! ac salutis meæ Mater! sanctissima Virgo MARIA! Ecce potenti tuâ apud DEUM intercessione, ut nullus dubito, meritus sum, & obtinui, ut statum illum, in quo æternam salutem assecuturus sim, agnoverim. Tu es Mater vocationis meæ, & agnitionis, eris & sanctæ spei; confido namque in bonitate tua materna, & qua erga meam salutem feris cha-

cha-

charitate tuâ maximâ , quod sicut pro voluntate DEI circa statum vitæ meæ agnoscendâ Patronam egisti , sic etiam pro eadem executioni danda mediatricem agere dignaberis. Age ; Mater gratiæ , me in vocationis hujus amore conserva ; ab omnibus insidiis diaboli , & ejus affequentæ impedimentis me tuere. Adjuva conatus meos , ut desideria mea , quæ DEO & Te auspice concepti , optato fine coronentur. Tu Verbi æterni Mater dilectissima , da eam verbis meis & precibus efficaciam , ut id , quod peto ab iis , quorum interest , impetrem ; horum Tu intellectum illumina , move voluntatem , hancque ita in mea vota dirige , ut benignum precibus meis annutum obtineam. Tibi me , tibi vocationem meam , tibi demum ejus executionem me debere , libenter confitebor , ac in perpetuæ gratitudinis testimonium , ut nunc te toto , ac sincerissimo corde filialiter amo , ita , ubi tua interpositione ad statum NN. pervenero , semper amabo , utque à quamplurimis ameris , laborabo , ô clemens ! ô pia ! ô dulcis Virgo MARIA ! esto Mater & Advocata vocationis & salutis meæ.

Ad S. Angelum Custodem.

O Sancte Angele mei amantissime !
 Custos fidelissime ! cui me , cur-
 sumque pergrinationis meæ Divina Bo-
 nitas commisit , tuo instinctu statum,
 in quo me DEUS salvare decrevit , ag-
 novi , & amplecti constitui. Quia ta-
 men in negotio hoc tam arduo viribus
 meis diffido ; tibi me , notaque deside-
 ria mea ex toto committo. Tu me di-
 rige, ac Co-Angelorum tuorum pro me
 affectum, & opem impetra , qui Custo-
 des sunt eorum , in quorum potestate
 sita est vocationis meæ executio , ut eos
 in vota mea inclinent.

Monitia pro Susceptis.

1. **D** iabolus videns brevi sibi tempus
 superesse, hic potissimum labo-
 rat, ut ubi semen cecidit in terram bo-
 nam, superfeminent zizania ; hic cona-
 tur mille impedimenta ponere ; ideo
 susceptus cautus in omnibus esse debet.

2. Susceptio aliis, non promulganda,
 donec , & quibus Confessarius judica-
 verit, quia multa hinc sequi possunt in-
 commoda.

3. Caveat omnino ac titulo valedi-
 ctionis plus indulgeat lusibus, haustui,

CO-

comeffationibus, saltibus, &c. tum quia periculum est perdendæ vocatio- nis ; tum quia pessimæ species colli- guntur, in quibus ejiciendis multum laboris habebit in tyrocinio ; Tum quia ob similia sæpe superiores etiam susceptum rejiciunt ; *nec enim, ait Basi- lius, ad virtutem iter est per vitium.*

4. Non velit, quasi à Bacchanalibus ad quadragesimam, ita à meris convi- viis per omnes Cognatos institutis tran- sfire ad Religionem. Potest valedictio fieri etiam sine his commeffationibus, quæ & sanitati, & famæ, & non raro etiam animæ nocent. Stulta præpa- ratio per offensam DEI, se velle ad DEUM disponere.

5. Nunquam majori cura cavenda est malorum Societas & consuetudo? nun- quam plus orationi insistendum.

6. Juvabit etiam sensim in externis se accommodare consuetudini Ordinis, v. g. surgere maturius, aliquas mortifi- cationes exercere, &c. meditari, ma- nere in solitudine.

7. In conversatione cum aliis ea lo- quere, è quibus fervor & desiderium ad spiritualia innotescat ; memor, quod tuo exemplo, & colloquio plurimum boni facere possis.

8. Non

8. Non audiendi tentantes, qui, ubi susceptio innotuit, sunt plurimi. Hic promittit montes aureos, spondet promotiones, viam ostendit ad divitias, & nescio quas delicias; Ille cavillatur Religionem, narrat mira & sæpe infamissima; tertius causatur ætatis imprudentiam, suadet differendam executionem; in quibus omnibus constantem te exhibere debes, & similia vel joco excipe, vel spirituali doctrina retorque.

6. Præpara te ad ultimos Parentum conatus, blanditias & lachrymas: quomodo iis obviare debeas, ne his emolliatur animus.

10. Si quæ sunt ingressus impedimenta, maturè amoveantur; v. g. debita solvenda, obligationes deponendæ, vota, si quæ essent emissa, adimplenda, licet illa dispensandi potestas sit penes Superiores Ordinis, quem ingrederis.

11. Ante ingressum Religionis non condatur testamentum, licet Cognati urgeant; bona sua nulli leget, aut donet, etiam sub conditione perseverantiæ; sed libertatem omnem retineat. Concilium Tridentinum declarat ejusmodi testamenta, & dispositiones ingressus causâ in Religionem factas esse invalidas;

das ; adimunt ingressuro libertatem
 exeundi tempore tyrocinii ex Religio-
 ne, utpote qui verecundaretur aliis pro-
 missa & legata recipere. Satis temporis
 erit, ut id ante professionem faciat.

12. Abiturus, illâ die Communica, &
 Parentibus valedicens, ab iis flexis ge-
 nibus Paternam benedictionem pete ,
 sicque resolutus calcato mundo ad
 Christi Crucem avola. Resolutione
 generosâ reddes tibi facilem à charis
 separationem. Cave tristitiam ullam
 admittas ; nam hilarem datorem dili-
 git DEUS.


13. Tyrocinii limen , tanquam coeli
 Fores adi, & Religiosam vitam cùm
 incipis , perfectè incipe, &
 age ,


O. A. M. D. G.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.























12

Th
2913